



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Analysis Methodica Ivris Pontificii**

**Venator, Daniel**

**[S.l.], 1579**

**VD16 V 541**

Analysis Methodica Ivris Pontificii. Liber Primvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

# ANALYSIS METHO- DICA IURIS PONTI- FICII.

LIBER PRIMVS.

*De iure Canonico.*



**H**UMANVM genus diuinis hu-  
manisq; regitur legibus, c. huma-  
num, dist. 1. Hę moribus, ille natu-  
ra cōstant, c. omnes, eod. à quibus  
constitutiones omnesq; leges tā  
Canonici quàm Ciuilis iuris, va-  
rijs voluminib; dispersę promanârunt, per  
tot: dist. 1. Quod enim religioni conuenire, disci-  
plinę congruere, communique omnium salutē  
proficere naturā receptum, moribusq; probatū  
est, hoc in omnem perpetuitatem valiturę con-  
stitutionis loco; nisi necessitatis, vtilitatis, hone-  
statisq; aliqua ratio abrogationem suaserit, pro-  
mulgatione institutum, vtentium approbatio-  
ne firmatum, monumentisq; solertia celeberrī-  
morum virorum traditū est. c. Cōsuetudo, dist.  
1. c. in his, dist. 4. Sic Ecclesiasticę constitutiones  
quę canonum nomine censentur, c. 1. dist. 2. à té-  
poribus Constantini Imperatoris, qui primū  
Christianis liberē congregandi facultatem con-  
cessit, c. canones, dist. 15. celebratis Patrum concī-  
lijs, decretist; Pontificum eò vsq; excreuerunt,  
vt Pontifices, inutilibus sublatis, certis volumi-  
nibus vni nomini iuris Canonici subnixis, cum

A

san-

### ANALYS. IVRIS PONTIFICII

sanctione religiosæ observationis, non tantum in foro ecclesiastico, verum etiam seculari deficiente Ciuili lege, eas complecti summa industria curauerint. Vnde patet, ius Canonicum ita rectè definiri posse.

#### *Quid est ius Canonicum?*

Ius Canonicum est, quod decretis Põtificum, statutisq; Conciliorum, tam generalium, quàm prouincialium constat, normam rectè viuendi ostendens, c. 3. dist. 1.

#### *Vnde dictum ius Canonicum?*

Dictum à Canone, Græco vocabulo, quod Latine Regula, eò quòd rectè ducat, nec aliquem aliorum trahat, imò, quod distortum prauumq; est corrigat, dicitur, d. c. 3. c. 2. dist. 1.

#### *Quot sunt partes huius Iuris?*

Partes duæ principaliter sunt: Decreta & Decretales.

#### *Quid Decreta?*

Decreta sunt, Ecclesiasticæ constitutiones à summo Pontifice, adhibito consilio Cardinalium & Episcoporum, ad nullius petitionem vel consultationem factæ, 3. q. 1. c. generali

#### *Quot sunt partes Decretorum?*

Partes Decretorum sunt tres: Prima continet 101. distinctiones. Secunda compræhedit causas 36. cui tractatus de Pœnitentia est insertus. Tertia consecrationem eiusq; species quinque distinctionibus declaratas compræhedit.

#### *Quid Decretales?*

Decretales sunt, Epistolæ & canonicæ scripturæ

vim

vim authoritatis habentes, quas vel summus Pontifex solus, vel ex concilio Cardinalium, aliquo interpellante, constituit, glos. in c. omnes, 3. dist. c. 1. extr. de rescrip. c. bonæ memoriæ, extr. de elect. c. in canonicis, dist. 19.

*Quot sunt partes Decretalium?*

Continentur Decretales distinctis quinque libris Decretalium antiquarum, sexto Decretalium & Cleméntinarum annexis Extrauagantibus. Quorum primus & tertius ritus & cæremonias Ecclesiasticas: secundus autem, pars primi & tertij: quartus & quintus iudicialé processum, causas forenses, contractus, vltimas voluntates, & criminalia potissimùm tractant.

*Quæ causa efficiens iuris Canonici?*

Causa efficiens, si primam originem spectes, est ipse Deus, qui conditor omnis legislationis est, legis diuinæ atque nature, quas Ecclesiastica constitutio complectitur, & ordinata serie cõsequitur, auctor & effector. Diuinæ enim leges cum natura constant, legem nature imitantur, cuius notitias Deus in creatione humani generis omnium mentibus in seuit insculpsit, vt honesta à turpi hõ discernere, mores in hac politica vita ritè in-

A 2 leges

#### ANALYS. IURIS PONTIFICII

leges originem à Deo traxisse crediderunt, vt Sophocles, Plato, & alij. Cicero 2. de legibus: Hanc video, inquit, sapientissimorum fuisse sententiam, legem nō hominum ingenijs excogitatum, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternū quiddam. & alia, quæ sequuntur.

Causa efficiens magis propinqua: Sunt 4. Cōcilia generalia, scilicet, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephæsinum, Calcedonense, c. sicut, dist. 15. Summi Pontifices iunctis Cardinalibus & Episcopis, c. sunt quidam 25. q. 1. c. inter alia extr. de sententijs excom. Decretales enim antiquæ à Gregorio nono suisq; antecessoribus, vt inter canonicas scripturas connumerentur, vimque auctoritatis haberent factæ, concinnatæque sunt, c. in canonicis, dist. 19. & proœmio decret. antiquorum.

Quas ipse Gregorius quinque libris decretalium nomine editis, certa quadam titulorum serie obseruata, redegit. Bonifacius octauus sextū Decretalium in concilio Lugdunensi, contrarietatibus sublatis, superuacaneisq; refecatis, quæ inter varia Pontificum decreta abundare videbantur composuit. Accesserunt Clemētine à Clemente Quinto, in concilio Viennensi: & Extrauagantes à Ioanne 22. compilatæ. Collegit etia Gratianus ex Concilijs & scriptis Doctorum Ecclesiæ librum decretorum in tres partes distinctū, quem Eugenius tertius approbavit publicisque Gymnasijs legendum concessit: in vita Grat.

*Quod Obiectum?*

Obiectum Iuris Canonici secundum Ioannē de

de

de Immo. in procemio ad decretal. est res Ecclesiastica. Licet hoc iure de personis Ecclesiasticis, officijs, contractibus, iudicijs, vltimis voluntatibus, & similibus agatur: omnia tamen circa acquisitionem, retentionem, cōseruationem, alienationē rerum Ecclesiasticarū, vitam, moresq; secundū præsriptum Ecclesiæ in diuinis ministerijs, alijsq; sacris administrandis rectē instituendos versantur.

*Quæ Forma?*

Dispositio & series titulorum, quæ in decretalibus antiquis, sexto & Clemētinis ferè eadem est; nisi quòd in antiquis numero plures, & subiecta materia auctiores tituli, quàm in alijs ponantur. Liber autem decretorū Gratiani farraginē quandam multarum sententiarum & dictorum Patrum inordinata serie compræhendit.

*Quis Finis & Effectus?*

Finis & effectus sunt, primò, agnitio Dei, in qua summa perfectio & beatitudo humanæ naturæ consistit: secundò, diuini cultus, secundū veterum Patrum præsriptum, rectē instituendi noticia: tertio, status religionis & Reipublice cōseruatio: quartò, honesta à turpibus, æquum ab iniquo discernendi cognitio: quintò, quoad leges diuinas, quæ natura constare dicuntur, sparsum iuri Canonico insertas, sicuti & iuris Naturalis immutabilitas: sextò, salus populi Christiani, ad quam legum latores suas leges tanquam scopum referunt. Etiam huius operis finis rectē constituitur, vt absque molestatione, & iniurijs hostium Ecclesiæ tranquillius vitā traducamus,

6 ANALYS. IURIS PONTIFICII

& post eam beatitudinem cum sanctis, in omne ævum perfruendam consequamur.

*Quæ Cognata?*

Cognata iuris canonici sunt, Theologia, Philosophia moralis, equitas, ius naturale, ius Civile, lex Mosaica. Conuenit enim cum Theologia, & iure Ciuili, quoad diuinas humanasque leges, quas complectitur, Abb. c. quomodo & quando, extr. de accusat. Cum Philosophia morali, secundum mores rectè formandos. Cum æquitate & iure naturali, quia omne quod fas est nomine diuinæ, vel naturalis legis accipitur, c. omnes, dist. 1. Cum lege Mosaica conuenit, quoad ritus in sacris à populo Dei obseruandos. & quia ius constitutionis, à iustificationibus, quas Dominus tradidit Moyfi, cœpisse dicitur, c. ius autem, dist. 7. & c. non est, dist. 6.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, Theologia, lectio Patrum, legitima ætas, diuina gratia, veritas, falsitas.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, omnia decreta omnium gentium, quæ à norma Decalogi, lege naturæ, rectæque rationis dictamine longius recedunt, quibus superstitiones idololatricæ, hæreses, vel schismata, vel tyrannis, vel vagæ, libidines inducuntur & stabiliuntur.

DE

LIBER PRIMVS. 7  
DE SVMMA TRINITATE,  
& Fide Catholica. Titulus I.

Continuatio.

**C**um iure Canonico potissimum de rebus di-  
uinis & Ecclesiasticis, quæ non tã iuris, quã  
religionis sunt, agatur: religio aut constan-  
tia fidei; cuius principiũ sanctissimum est sum-  
ma Trinitas; vt firmo fundamento nitatur, sua-  
det dignitatis, doctrineq; ratio, summe, sanctissi-  
mæq; Trinitatis, & circa eã versantis fidei Catho-  
licæ declarationem principali loco collocare.

*Quid est Trinitas?*

Firmiter credimus, inquit Innoc. III. & simpli-  
citer cõfitemur, Trinitatẽ, quæ est vnus solus De-  
us verus, æternus, immensus, incõmutabilis, in-  
cõprehensibilis, omnipotẽs, ineffabilis, pater, & fi-  
lius, & spiritus S. tres quidẽ psonæ, sed vna esẽtia,  
substãtia, seu natura simplex, c. 1. extr. eo. in prin.

*Quæ Causa?*

Deus solus est causa causarũ: Pater quidẽ om-  
nib; q̃ sunt, vt essent, dedit, & ipse, quod est, à ne-  
mine accepit; principiũ. n. est deitatis, qui, sicut  
nunquã fuit nõ Deus, ita nunquã fuit nõ pater,  
Aug. de trin. & vnit. Dei, ca. 2. & lib. de Eccl. dog-  
ma, cap. 1. Filius autem neq; creatus est, neq; ab a-  
lio esse cœpit, sed fuit à principio vnã cum pa-  
tre, Ioan. 1. Verũ quia scriptura Christum filiũ  
appellat, idẽ respectu patris, ad discernendas  
personas & officia, patrem illius causam, omni  
humano cogitatu deposito, esse intelligimus.  
Demum spiritus sanctus, respectu existentia, nõ  
habet causam, q̃a à principio existit cũ patre &



ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
filio æternus Deus, respectu verò processio-  
nis dicuntur pater & filius quodammodò eius causæ,  
nam spiritus legitur à patre & filio procedere,  
Ioan. 25. Et hoc est quod Innocenti<sup>o</sup> III. exprimit  
his verbis: Tres quidem personæ consubstantia-  
les, coæquales, coomnipotentes, & coæterni: pa-  
ter à nullo, filius à patre solo, ac spiritus sanctus  
pariter ab utroque, absque initio, semper ac sine  
fine. pater generans, filius nascens, & spiritus san-  
ctus procedens, d. c. 1. eod.

*Quæ Forma?*

Quòd pater, filius, & spiritus sanctus, vera v-  
nitione non collectiua seu similitudinaria sint v-  
na essentia, substantia seu natura diuina, quæ ta-  
men secundum personales proprietates discreta  
fit, id est, proprietatibus & actibus, non substan-  
tiæ, sed personæ attributis, differat. Est enim ge-  
nerans genita & procedens, quæ diuina essentia ap-  
pellatur, & est De<sup>o</sup>, æternus, incorporeus, impar-  
tibilis, immensa potentia, sapiëntia, bonitas, crea-  
tor & conseruator omnium rerum, visibilium  
& inuisibilium, spiritualium & corporalium, c.  
damnamus, & d. c. 1. ext. eod.

*Qui Effectus?*

Creatio omnium visibilium & inuisibilium  
spiritualium & corporalium, eorumque quæ crea-  
ta sunt dilectio, & conseruatio, esse enim æternã  
Dei potentiã ac diuinitatẽ, nihil aliud est, quàm  
Deum in æternum creare, gubernare & cõseruare  
creata: vt in Actis scriptum est: in ipso viuimus,  
mouemur, & sumus. Officia autẽ ita distinguun-  
tur: Patris est creare, fouere, curã habere, corrigẽ-  
re vt seruet suos, & diligere, diligit autẽ, quia ser-  
uat,

uat, seruat, q̄a fecit ea: Filij est saluū facere popu-  
lū, à peccatis, iustificare, satisfacere, & esse propiti-  
atorē pro peccatis, esse mediatorē, & pacē nostrā,  
solū pastorem, & Pōtificem suę Ecclesię, sacer-  
dotem, & Pontificē in eternum, regem, ducem, &  
dominum super populū Dei: Spiritus sancti offi-  
cium est, confirmare consciētias, de veritate Dei,  
& hæreditate in Christo accepta, illuminare, san-  
ctificare, & conseruare in veritate, declarare, glo-  
rificare Christum, donare Ecclesiam omni gene-  
re donorum, efficere, vt omnis generis bonorū  
operum abundemus, Ioan. 7. 14. 15. & 16. cap.

*Quid Fides?*

Fides, licet varijs modis accipiatur, hic tamen  
pro credulitate earum rerū, in quib. salus, vitęq;  
nostrę redemptio consistit, accipitur. & est secu-  
dum Paulū in Epist. ad Heb. ca. 11. substantia re-  
rum sperandarum, argumentū non apparentiū.

*Quę causa efficiens?*

Causa efficiens fidei est Deus ipse. Clem. fidei,  
eod. tit. fidē enim donū diuinum esse docuit Apo-  
stolus in Epist. ad Ephes. cap. 2. Gratia (inquit) e-  
stis saluati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei e-  
nim donum est, & 1. ad Corin. cap. 12.

*Quę causa impulsua?*

Ipsū verbum quod mouet corda ad creden-  
dū. Vnde dicitur: fides ex auditu est, auditus ve-  
rō per verbum Dei, ad Rom. 10. & in pœnitentia  
cognoscitur peccatum, cognitio verō peccati oc-  
casionem præbet accedendi medicum salutarē,  
id est Christū, qui fide appræhensus remittit pec-  
cata, pars aut verbi vel Euangelij est pœnitētia.

*Quæ Materia?*

Materia fidei est summa & sanctissima Trinitas, Deus Vnus in natura, & Trinus in personis, Christus seruator noster Deus & homo: Ecclesia, eiusque sanctissima sacramenta: ac demum omnia, quæ nobis in symbolo Apostolico credenda proponuntur, quæ perspicue habentur in c. firmiter, ext. eod. c. per totum, 24. q. Clem. fidei catholice, eod. c. 1. in 6. eod. l. 1. & l. inter claras, C. eod.

*Quæ Forma?*

Forma est credulitas rerum diuinarum presentium & preteritarum, quæ nec humano sensu, vel intellectu comprehendere possunt cum fiducia in promissiones de Christo. Vnde Aug. tract. 4. in Ioan. Fides est virtus, qua creditur ea, quæ non vides. Et Paul. ad Heb. definit fidem, esse expectationem seu affectum in promissiones Dei. Et in Abrahamo, ad Rom. 4. ait, verum ob promissionem Dei non hefitabat ob credulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, plenissime sciens, quod idem, qui promiserat, idem potens esset & prestare.

*Quis Finis?*

Finis est æterna foelicitas, c. 1. §. non solum, extr. eod. vbi dicitur: non solum virgines & continentes, verum etiam coniugati per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire. fides enim per dilectionem saluat, iuxta illud Aug. Hæc est vita æterna, vt te cognoscamus verum Deum: cognoscimus autem per dilectionem, quæ coniuncta fidei est. Aug. in lib. de fid. & ope. Et alibi: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, c. Maiores, ext. de bap. & c. 1. §. hæc sancta extr.

Et a extr. eod. Quoniam extra Ecclesiam, & fidem  
in Christū nullus saluatur, c. quoniam, 24. q. 1.

*Qui Effectus?*

Primò: Iustificatio, mediante merito Christi.  
Gen. 15. credidit Abrahā Deo & imputatū est ei  
ad iustitiā. Ad Rom. 4. Arbitramur autē hominē  
iustificari absq; operibus legis. Ad Rom. 5. Iusti-  
ficati igitur fide. Ad Gal. Lex pædagogus noster  
fuit ad Christū, vt fide iustificaremur. 2. Inuo-  
catio cū fiducia accipiēdi petita. Ad Rom. Quo-  
modo inuocabunt eum, in quē non crediderūt?  
3. Confessio iustitię. Ad Rom. 10. Corde creditur  
ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem.  
4. Tranquillitas conscientię: reddit enim tran-  
quillas cōscientias. Rō. 3. 5. Certitudo de pro-  
missiōe in Christo facta & de vita æterna, iuxta  
illud: Idcirco ex fide datur hereditas, vt firma sit  
promissio. & Ioā. 3. Qui credit in filiū habet vi-  
tam æternā. 6. Adoptio filiorū Dei. Ad Gal. 3.  
Omnes filij Dei estis, eō q; credidistis in Christo.  
7. Nostrī exhibitio, vt Deo placeamus; sine fide  
enim impossibile est placere Deo, d. c. 1. §. nō so-  
lūm, extr. eod. 8. Puritas animi à sordibus vi-  
tiorum: nam Act. Apost. cap. 15. D. Petrus corda  
purificari per fidē ait. 9. Fortitudo animi: nam  
per fidē veteres sancti patres vicerūt regna, ope-  
rati sūt iustitiā, fortes facti sūt in bello, ad Heb.  
xj. 10. Timor: nā cū credimus, eū inquiren-  
tibus se, vt loquitur Paul. Heb. 11. esse remunera-  
torem, in spem maximam salutis consequendę  
erigimur. Accedit quod notitia Dei non contin-  
git, nisi per fidem, quæ apprehendit Deū & pro-  
pellit ad sperādum in Deum propter Christum  
reconciliatum.

*Quæ*

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt dona pleraq; spiritus sancti: vt est donū intellectus, quo abditissima quæq; rerū supernaturaliū mysteria penetramus: donū sapientiæ, quo de diuinis rebus sapiētissimè iudicamus: donū sciētīæ, quo de rebus humanis rectissimè sentimus, & quæ credēda sunt à nō credēdis accuratè secernimus: donū prophetiæ, quo futura certò p̄dicimus, aut cognoscimus ea, q̄ ab humana cognitione penitus sunt remota: deniq; cognitio totius Theologiæ Christianæ. quanquā. n. multa in complexu sciētīæ Theologicæ sint, q̄ humano ingenio cōpræhendi potuerint: aut etiam eiusmodi sint, quæ necesse non sit credere, tamen omnia ferè ad fidem ipsam, tanquam ad principium quoddam, reuocantur.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacētia fidei sunt, Charitas: sine qua, teste Paulo in epist. ad Cor. ca. 13. etiā maxima fides nihil est, & c. vbi sana fides, 24. quæst. 1. Host. in §. quot sint, eod. Spes: Nō. n. fides sine spe subsistit. Cū, sicuti corpus reficitur cibo, ita fides spe nutritur, & quod fides credit, hoc spes expectet, vt ait August. de cog. veræ vitæ: & ad *Crescentiū* epist. 85. Quoduis opus bonū. quicquid enim tunc fide fit hoc peccatum est, c. querat, §. etsi fides, de pœnit. dist. 3. & Rom. 14. deniq; Humilitas, secundū Gregorij magni dictum, Nō habet meritum, cui humana ratio præbet experimentū.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia fidei sunt tria generatim, sub quib. omnia q̄ fidei aduersantur cōpræhendi possunt, scilicet,

scilicet, infidelitas, apostasia & hæresis. Infidelitas dicitur esse in Ethnicis, Iudæis, Turcis, ac ijs, qui nunquam in Christum crediderunt, tot. tit. de Iudæ. & cœlicolis, & per tot. 28. quæst. 1. Apostasia est in ijs, qui fidem Christi semel receptam deseruerunt, c. quod quidem, §. & ex his, 1. quæst. 1. c. hæretici, 14. q. 1. & l. fina. C. de Apostat. Hæresis dicitur, qua conuincitur is, qui alicuius temporalis commodi, & maxime vanæ gloriæ principatusq; gratia, falsas, & nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. Easq; pertinaciter defendit, c. hereticus, c. qui in Ecclesia, c. quæ aliorum, 24. q. 3. Quorum varia genera ponuntur in c. quidam autem, 24. q. 3. Et l. Ariani, C. de Hæret.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Fides, quæ per dilectionem operatur, est fundamentum omnium virtutum, c. ante baptismum, dist. 4.*

*Fides sine operibus mortua est, c. fertur, 1. q. 1.*

*Omne quod non est ex fide peccatum est, non ita intelligendum est, vt quicquid sit ab infidelibus credatur esse peccatum, sed omne quod contra conscientiam fit, c. omne, 28. q. 1.*

*Omne quod aliter fit, quam probatū est, peccatum est: non tamen omne quod fit cum fide, bonum est; ignorantia enim quæ est ex culpa nocet, d. c. omne, 28. q. 1.*

*Vbi deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus, d. cap. omne, 28. quæst. 1.*

*Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, sed secundum personales proprietates discreta est, d. c. firmiter, ext. eod.*

*Fideles*

Fideles Christi vnum esse est. Non eandem rem vnam, quæ sit communis omnibus, sed vnam Ecclesiam propter Catholica fidei vnitatem. Et tantum vnum regnum, propter vnionem indissolubilis charitatis, cap. damnamus, extr. eod.

Licet alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est pater, est filius, & spiritus sanctus idem omnino, d. c. damnamus, eod.

Spiritus sanctus æternaliter à patre, non tanquam ex duobus principijs, sed ex vno principijs & vna spiratione procedit, c. fidei, eod. in 6.

Quæ malo inchoantur principio, non peraguntur bono exitu, c. principatus, 1. q. 1.

Non superædificatur bonum opus, vbi Christus fundamentum non est, c. cum Paulus, 1. q. 1.

Qui recedit ab Ecclesia, nec baptisma, nec ius dandi amittit, c. quod quidem, 1. q. 1.

Qui aliorum defendit errorem damnabilior est illis, qui errant. quia non solum errat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde, quia magister erroris est, non tantum hereticus, sed etiam heresiarcha dicendus est, c. qui aliorum, 24. q. 3.

Inter heresim & schisma, hoc interest, quod heresis peruersum dogma habeat, schisma post Episcopalem decessionem ab Ecclesia pariter separat, quod quidem in principio aliqua ex parte erat diuersum, c. inter heresim, 24. q. 4.

A fide recedens spiritus perfectionem non habet, c. heretici, 24. q. 1.

Opor-

LIBER PRIMVS. 15

Oportet esse hereses, vt probati manifesti fiant: hñ autem à Deo probati sunt, qui benè docere possunt, cap. eod. 24. q. 3.

Fidem Christo non exhibet, qui corpus eius discerpit, c. aduocauit, 24. q. 1.

Eligenda est fides cum vita; fides enim meritum nō habet, cui vita deest, c. fertur, 1. q. 1.

DE CONSTITVTIONIBVS.

Titulus II.

Continuatio.

Statuta Conciliorum auctoritate Pontificis Romani, vel Patriarcharum, Primatum, vel Metropolitanorum eiusdem prouinciæ celebratorum, & Decreta, quibus totum ius Canonicum constare dictum est, Ecclesiasticæ constitutiones, quæ canonum nomine censentur, dicuntur, c. 2. & 3. dist. 2.

Quotuplex Constitutio & quid Ciuilis?

Constitutio alia Ciuilis, alia Ecclesiastica. Ciuilis constitutio, forense vel ius Ciuile appellatur, c. 1. dist. 3.

Quotuplex ius Ciuile, & quid commune?

Ius Ciuile, vel est commune, vel municipale. Cōmune dicitur, quo oēs, qui Imperio Romano subiecti sunt, ligantur, quodq; in libris iuris Ciuilis habetur: nec potest condi, nisi per Imperatorem vigore in regiam maiestatem translato potestatis, lason in l. imperium, ff. de ius. & iure.

Muni-



Municipale est, quod quisque populus, vel ciuitas sibi proprium diuina humanaque causa constituit, c. ius ciuile, dist. 1. Et ius Quiritium, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, constitutionibus principum, & responsis prudentum constat, ius ciuile & proprie Romanorum esse dicitur, c. fin. dist. 1. c. constat, distinct. 2.

*Quotuplex constitutio Ecclesiastica & quid Generalis?*

Constitutio Ecclesiastica duplex est, Generalis & Specialis. Generalis est sanctio eius, qui ius statuendi habet in utilitate subditorum facta, qua omnes qui statuendi subiecti sunt ad illius observationem tenentur, c. 1. ext. eod. & c. 3. dist. 2.

*Quid Specialis?*

Specialis constitutio proprio nomine appellatur priuilegium, dictum eo quod in priuato feratur, vel quasi priuatam legem singulis, quibus conceditur, generet. Et nihil aliud est, quam iusio speciale quid cuique petenti singulariter indulgens, c. ideo §. Neque enim, 25. quaest. 1. c. priuilegia, dist. 2.

*Quae est origo constitutionis & legis?*

Generaliter acceptum constitutionis ~~ius~~ uti in titulo ponitur, duxit originem partim a iustificationibus, quas Dominus tradidit Moyse, c. ius autem, distinct. 7. partim ab alijs variarum gentium legibus tam scriptis quam moribus obseruatis: quarum quaedam a Romano populo duodecim Tabulis inscriptae in ius Ciuile & Canonicum postea dimanarunt, c. Moyses, dist. 7.

Fuit

Fuit autem Moyses primus omnium, qui Genti Hebræ diuinas leges sacris literis explicauit. Phoroneus Rex Græcis primus leges iudicialis constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Atheniensibus ædidi. Licurgus primus Lacedæmonijs iura ex Apollinis autoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo in regno successit, primus Romanis leges præscripsit. Deinde, cum populus seditiosos magistratus ferre non posset, decemuiros legibus scribendis creauit. Qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatis xij. tabulis exposuerunt, c. Moyses, dist. 7. Atque ex his, accedentibus postea alijs iuris partibus: scilicet senatusconsultis, principum placitis, responsis prudentum, prætorum edictis, & plebiscitis, ius Ciuile compilatum est, c. Fuerunt autem, distinct. 7.

*Quæ causa efficiens Ecclesiasticæ constitutionis?*

Causa efficiens constitutionis Ecclesiasticæ, est primò autoritas Põtificis, c. si. ext. eod. c. inter alia, ext. de senten. excommunicat. Secundò, autoritas Prælati, c. fin. ext. de offi. leg. Tertiò, autoritas Episcopi, c. si quis, ext. de Maio. & obedientia. Quartò, autoritas Capituli, c. cū accessisset, ext. eod. Quintò, autoritas Vniuersitatis clericorum, c. ex literis, ext. eod. solent etiã, conuocatis Patriarchis, Episcopis, & prælati in Concilijs, quæ generalia, prouincialia & Episcopalia sunt, constitutiones Ecclesiasticæ vnanimi consensu confici, c. 3. dist. 2. c. sunt quidam, 25. quæst. 1. c. quod dicitis, dist. 16. c. fin. distinct. 18. Et Conciliorum

B

ciliorum

ciliorum generalium quidē constitutiones māgis proprio vocabulo Canones appellantur, & omnes ad illorū obseruationem obligāt. Quod verò in Concilijs prouincialibus & Episcopalibus, p̄ Primates, Metropolitāos, vel Episcopos, vocatis ius statuitur, nō propriē canon, sed constitutio dicitur, eorumq; prouinciæ ciuitatis & diecēsis homines dūtaxat deuincit, nec de maioribus negotijs decernere potest, c. 1. dist. 18. vbi glo. Et sola immediati Prælati authoritas, hisce concilijs congregandis sufficiet. Quare nec Episcopus concilio suo Diecēfano Metropolitanus authoritatem: nec Metropolitanus Primatum, aut Superiorum adhibere tenetur, glof. in c. 1. dist. 17.

### *Quæ Materia?*

Materia constitutionum sunt, personæ, res, & iudicia. Personarū ordines sunt tres: sunt enim quidam in minoribus ordinibus, quidam in maioribus, & quidā in supremo dignitatis gradu constituti. Et hi, vel regulare, vel seculares, &c. Res sunt etiam in triplici genere: vel diuinæ, vel ecclesiasticæ, vel humanæ. Iudicia hīc vel ciuilia, vel criminalia dicuntur.

### *Quæ Forma?*

Forma constitutionis est ipsa ratio, quæ quoque dicitur anima legis, c. sedulō. 38. dist. c. consuetudo, dist. 1. Ratione autem minimē carere dicitur, si honesta, possibilis, secundū naturam, & secundū consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniēs, necessaria, vtilis, manifesta

festā quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro ciuium subiectorumq; utilitate conscripta fuerit, c. erit autem, distinct. 4. Et hoc est, quod alibi dicitur, legem ratione consistere dici, si religioni conueniat, si disciplinæ congruat, & si communi omnium saluti proficiat, c. consuetudo, dist. 1.

### *Quis Finis?*

Finis est, vt Deus decenti religionis cultu honoretur, & earum metu humana coerceatur audacia: tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refruentur audacia, & nocendi facultas, cap. 2. dist. 4. & c. causa, eod.

### *Quis Effectus?*

Effectus est, quod constitutiones habeant vim legis obstringantque ad earum obseruantiam omnes, qui statuenti subiecti sunt, Felin. in c. 3. num. 5. de iureiuran. & c. 1. extr. eod. princeps autem illis solutus est, legibus tamen vt ~~obtemperet~~, nec in se posse damnare iura, quæ in subiectis constituit iustum est, cap. iustum, dist. 9.

### *Quæ Cognata?*

Cognata constitutionis sunt pragmatica sanctio, annotatio, consuetudo, priuilegium, rescriptum, lex Mosaica, stylus, præscriptio.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, p[ro]sibilitas, honestas, iustitia, veritas, & continentia, c. 2. dist. 4. c. veritate, dist. 8. c. ego, dist. 9.

*Quæ Pugnantia?*

Pugnantia sunt, omnes constitutiones, quæ canonicis, decretis Præsulorum Romanorū, vel bonis moribus, aduersantur, c. constitutiones, distinct. 10. Et desuetudo in contrarium; sicut enim moribus videntium leges confirmantur, ita moribus videntium in contrarium, nonnullæ leges abrogantur, c. in istis, dist. 4.

AXIOMATA, SENTENTIAE, VARIAE  
Definitiones, & diuisiones, quæ in Decretis ponuntur.

Ius naturale est, quod in lege & Euangelio continetur, quo quisque iubetur alij facere, quod sibi vult fieri: & prohibetur alij inferre, quod sibi nolit fieri, c. humanum, dist. 1.

Differunt lex humana & diuina; cum omne, quod fas est, nomine diuinæ vel naturalis legis accipitur, nomine verò legis humanæ, mores iure cōscripti et traditi intelligantur, c. omnes, dist. 1.

Lex est constitutio scripta, mos autem, longa consuetudo de moribus tantummodo facta, c. lex, c. mos, dist. 1.

Consuetudo est ius quoddam institutum, quod pro lege suscipitur, cum lex deficit, c. cōsuetudo, nec differt, an scriptura, an ratione consistat, eod.

Sicuti

Sicuti ratio consuetudinem, ita legem, commendat,  
d. c. consuetudo.

Lex est, si ratione constiterit, si religioni conueniat,  
si disciplina cōgruat, & si communi omnium salutis pro-  
ficiat, d. c. consuetudo.

Ius naturale est commune omnium nationum, eod  
quod ubique, instinctu natura, non constitutione habe-  
tur aliqua, c. ius naturale, eod.

Ius ciuile est, quod quisque populus, vel ciuitas sibi  
propriam diuina humanaque causa constituit, c. ius ci-  
uile, eod.

Ius gentium est, sedium occupatio, edificatio, muni-  
tio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pa-  
cis, inducia, legatorum non violandorum religio, conu-  
bia inter alienigenas prohibita, c. ius gentium.

Ius gentium dicitur, quia eo iure omnes ferè gentes  
vtuntur, d. c. ius gentium.

Ius militare est, belli inferendi sollemnitates, fœderis fa-  
ciendi nexus, signo dato egressio in hostem, item signo  
dato receptio, flagitij militaris disciplina, si locus deserat-  
ur, stipendiorum modus, dignitatum gradus, premio-  
rum honor, præda decisio, pro personarum qualitatibus  
& laboribus iusta diuisio, c. ius militare, eod.

Ius publicum est in sacris, & sacerdotibus & Magi-  
stratibus, c. ius publicum.

Ius Quiritum, est propriè Romanorum, quod nulli  
tenent nisi Quirites, id est, Romani, c. fin. dist. 1.

Constat ius Quiritum ex legibus, plebiscitis, sena-  
tusconsultis, constitutionibus Principum, & responsis,  
prudentum, c. constat, dist. 2.

Lex constitutio est populi, quâ maiores natu, simul cum plebe aliquid sanxerunt, c. constat, eod.

Plebiscita sunt, quæ plebes tantum constituunt, & vocantur plebiscita, eod, quod ea plebs sciat, vel quod sciscit & rogat ut fiant, c. plebiscita, eod.

Senatusconsultum est, quod tantum senatores populis consulendo decernunt, c. senatusconsultum, eod.

Constitutio vel edictum est, quod tantum Rex, vel Imperator constituit, vel edicit.

Responsa prudentum sunt, quæ iurisperiti respondere dicuntur consulentibus, c. responsa.

Satira lex est, quæ de pluribus simul rebus loquitur, dicta à copia rerum, & quasi à saturitate, c. saty-  
ra, eod.

Rhodia leges, naualium commerciorum sunt, ab insula Rhodo cognominata, in qua antiquus mercatorum vsus fuit, c. Rhodia, dist. 2.

Constitutionum alia est Ciuilis, alia Ecclesiastica. Ciuilis constitutio forense vel ciuile ius dicitur: Ecclesiastica Canonis nomine censetur, c. 1. dist. 3.

Canon, Græcum uocabulum est, Latine regula dicitur. Regula dicta est, eod quod rectè ducit, nec aliquem aliorum trahit, vel ab eo, quod regat, vel quod normam rectè uiuendi præbeat, vel quod distortum, prauumq; est, corrigat, c. 3. dist. 3.

Canonum alij sunt, decreta Pontificum, alij sunt statuta Conciliorum. Conciliorum, alia sunt uniuersalia, alia sunt prouincialia. Prouincialium alia celebrantur auctoritate Põtificis Rom præsentis, uidelicet, Legato Rom. Ecclesie, alia auctoritate Patriarcharum, vel Primatum, vel Metropolitanorum eiusdem prouincie, d. c. 3. Pris

LIBER PRIMVS.

Priuilegia sunt, priuatorum leges, quasi priuata leges. nam priuilegium dictum est, quod in priuato feratur, c. priuilegia.

Omnis lex, aut permittit aliquid, aut vetat, aut puni, aut precipit, c. fin. dist. 3.

Causa cōstitutionis legum est, humanā coercere audaciā, & nocendi facultatem refrenare, c. causa, dist. 4.

In constitutione legum, maximè qualitas constituendarum obseruanda est, vt contineat in se honestatem, iustitiam, possibilitatem, continentiam, c. 2. dist. 4. non legibus, sed secundū leges iudicandū est, c. erit aut, dist. 4.

Leges instituuntur, cum promulgantur firmantur cum moribus vtentium approbantur, c. in istis, dist. 4.

Sicut moribus vtentium in contrarium nonnulla leges abrogatae sunt, ita moribus vtentium, ipse leges confirmantur, d. c. in istis.

Ius constitutionis cœpit à iustificationibus, quas Dominus tradidit Moysi, c. ius autem, dist. 7.

Generale pactum societatis humanæ, est, obtemperare Regibus suis, quantd magis, Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea, quæ iussit, sine dubitatione seruiendum est? sicut enim in potestatibus societatis humanæ, maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus præferri debet, c. quæ contra, dist. 8.

Non consuetudinem hominum, sed veritatem ipsam sequi oportet, c. si solus, dist. 8.

Ius naturale inter omnia primatum obtinet, tempore & dignitate: cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed immutabile semper permanet, c. hac quæ, dist. 5. & c. non est, dist. 6.



Differt ius naturale à consuetudine & constitutione: nam iure naturali omnia sunt communia omnibus, iure autem consuetudinis vel constitutionis, hoc meum est, illud tuum, vel alterius, c. differt, dist. 8.

Platoni illa ciuitas iustissime ornata dicitur, in qua quisq; proprios nescit affectus, c. differt, dist. 8.

Diuinū ius illud est, quod in scripturis diuinis: Humanum, quod in legibus Regum continetur, c. quo iure, dist. 8.

Non iure diuino, sed humano, rerum dominia sunt distincta, d. c. quo iure.

Iustum est, Principem legibus obtemperare suis; tūc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam prabet, c. iustum, dist. 9.

Principes legibus tenere suis, nec in se posse damnare iura, qua in subiectis constituunt, iustum est: iusta est enim vocis authoritas eorum, si, quod populis prohibent, sibi licere non patiantur, d. c. iustum.

Ratio exemplis anteponenda est, c. fin. dist. 9.

Constitutiones Principum Ecclesiasticis constitutionibus non praeminent, sed obsequuntur, c. 1. dist. 10.

Lex Imperatorum Ecclesiastica iura dissoluere non potest, c. lege, dist. 10.

Leges Principum & regulas Patrum contemni non licet, sed obseruari, c. quis autem, c. de capitulis, & c. fin. dist. 10.

Quicquid cōtra leges accipitur, per leges dissolui meretur, c. vides fili charissime, dist. 10.

Constitutiones contra Canones & decreta Praesulum Romanorum: vel bonos mores, nullius sunt momenti, c. constitutiones, dist. 10.

Nul-

Nulli licet sine discretione iustitiae contra disciplinam Romanae Ecclesiae agere, c. 1. & c. nō decet, dist. 12.

Contra naturale ius nulla dispensatio admittitur, nisi forte duo mala ita vrgeant, vt alterum eorum necesse sit eligi, c. 1. dist. 13.

Minus malum de duobus malis eligendum est, c. duo mala, dist. 13. Quod verum, si forte duo mala ita vrgeant, vt alterum eorum necesse sit eligi, c. item aduersus, dist. 13.

Dispensatio locum habet non tantum in vna persona, sed etiam diuersis: v. si quis committat minus malū, ne alius grauiori implicetur, c. 1. dist. 14.

Non sunt à nobis committenda delicta, ne alij grauiora committant, c. 2. dist. 14.

Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt, quae, aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione aetatum, oportet temperari, c. fin. dist. 14.

Quatuor generalia Concilia probantur, scilicet, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense, c. sicut, dist. 15. Niceno, peruersum Arriani dogma destruitur. Constantinopolitano, Eunomij & Macedonii error conuincitur. Ephesino, Nestorij impietas iudicatur. Calcedonensi, Eutichetis & Discori prauitas reprobata est, d. c. sicut.

Inter canonicas scripturas decretales Epistola connumerantur, & vim authoritatis habent, c. in canonicis, dist. 19.

Necesse est, vt iuxta diuersitates locorum, temporum & hominum, quibus diuersa scriptura facta sunt,

26 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
diuersas causas, & argumenta, & origines habeant, c.  
neceffe, dist. 29.

Constitutio futura respicit, & non praterita, nisi  
de prateritu caueatur, c. quoniam, extr. eod.

## DE RESCRIPTIS.

### *Titulus III.*

#### Continuatio.

**R**escripta inter partes, quibus cōceduntur,  
ius constitutionis habent, ideo cōstitutio-  
nibus rectè subijciuntur, c. cōstitutus, extr.  
de concess. præbend.

#### *Quid Rescriptum?*

Rescriptum est iussio Principis, in scriptis  
facta, quæ translata iurisdictione in eum, ad quē  
dirigitur, vel etiam nulla translata iurisdictione  
(si non ad lites, sed beneficia, vel alia petatur  
rescribi) ad preces impetrantis mādatur aliquid  
fieri, d. c. constitutus.

#### *Vnde dictum Rescriptum?*

Dictum à rescribendo, quasi ab Apostolico,  
vel Imperatore, ad consolationem, relationem,  
intimationem, vel supplicationem literæ scri-  
ptæ, c. consuluisti, 2. quæst. 5. c. ex parte, extr. eod.  
c. querelam, extr. de procurat.

#### *Quotuplicia Rescripta?*

Rescripta sunt, ratione causæ efficientis, mate-  
riæ, formæ, effectus, & causæ impulsivæ, varia.

*Quomodo*

*Quomodo ratione causæ Effi-  
cientis?*

Ratione causæ efficientis, quædam rescripta sunt Apostolica, Imperialia, & Episcopalia. Apostolica sunt, quæ in spiritualibus à Pontifice conceduntur, c. ex parte, extr. eod. Imperialia sunt, quæ ab Imperatore in temporalibus, l. sancimus, C. de diuers. rescript. Episcopalia, quæ à vicario vel Episcopo emanant, c. penul. de off. vicarij.

*Quomodo ratione causæ Procatartica  
variè intelliguntur?*

Ratione causæ impulsivæ, siue, causæ procatartica, sunt duplicia. Quædam enim Pontifex, vel Imperator, ob merita, vel nulla ex causa, vltro proprio motu, & ad nullius petitionem impartit; & hæc dicuntur annotationes, & indulgentiæ, d. c. constitutus, & l. vniuersa rescripta, C. de diuers. res. Quædam, quæ ad alicuius factam querelam, petitionem, vel supplicationem conceduntur, c. querelam, extr. de procurat.

*Quotuplici ratione Materiæ?*

Ratione materiæ etiam sunt duplicia. Quædam enim super rebus priuatorum, de quibus cōtro-versia esse potest, vel beneficijs conceduntur, c. ad aures, c. ad hoc, extr. eod. Quædam super rebus Ecclesiæ, & negotijs Vniuersitatum, quæ propriè dicuntur pragmaticæ sanctiones, requirentes causæ cognitionem, glos. in c. 1. extr. de rerū permutat.

*Quomo-*

*Quomodo secundum Formam varia?*

Secundum formam sunt, vel generalia, vel specialia. Generalia sunt, in quib. generales, seu indefinitæ clausulæ continentur. Specialia autem, quæ inter certos diriguntur, & super certis, & expressis rebus, seu negotijs, sine clausula generali fiunt, c. 1. & c. pastoralis, extr. eod. inter hæc, speciale derogat generali, illudq; prorsus tollit, c. pastoralis, & c. 1. extr. eod. si autem vtrunque sit generale, vel speciale vtrunque, non valebit posterius, nisi de primo fecerit mentionem, c. veniens, de præscript. c. institutionis, 25. quæst. 2.

*Quotuplicia secundum Effectum?*

Sunt & duplicia, ratione effectus, scilicet, personalia, quæ ad personam concedentis restringuntur: & impersonalia, quæ indefinitè, nulla personæ consideratione, vel mentione habita, dantur, c. si gratiosè, extr. eod. Effectus personalis est, ut concessio simul cum persona concedente expiret, secus autem impersonalis; durat enim, nisi à successore expressè reuocetur, d. c. si gratiosè, c. 2. de vsucap.

Sunt denique ratione diuersi effectus, quorum nunc quædam commemorata sunt, varia rescripta, omnia tamen, siue sint secundum ius, siue præter ius, siue contra ius, vim & auctoritatem constitutionis habent, c. 1. 2. dist. 19. c. 3. dist. 29. nisi sint contra ius publicum, vel diuinum, vnde dicitur, Rescriptum contra ius impetratum, è tenentis manibus euellendum esse, l. 3. c. de sacri. paga. pari ratione rescripto, contra consuetudinè

impe.

impetrato, præualet consuetudo, si sit laudabilis, c. fin. de consuet.

*Quot sunt species Rescriptorum?*

Species Rescripti sunt quinque: Annotatio, Pragmatica sanctio, Gratia expectatiua, Priuilegium, & Rescriptum ad lites, siue literæ de iustitia.

*Quid Annotatio?*

Annotatio est rescriptum, quod Princeps vltimo, proprio motu indulget, & cōcedit, l. vniuersa, c. de diuers. rescript.

*Quid Pragmatica sanctio?*

Pragmatica sanctio, est sacra Principis iussio, super rebus non priuatis, sed publicis, & vniuersitatibus, ad petitionem collegij, scholæ, curiæ, ciuitatis, prouinciæ, vel cuiusdam vniuersitatis, ob publicam causam emissa, d. l. vniuersa, c. dicti, 25. quæst. 2.

*Quid Priuilegium?*

Priuilegium est iussio specialis & priuata, in odium vel fauorem alicuius, contra communes iuris normas singulariter facta: quod ad exemplum non est trahendum. Atque vbi super priuilegijs sedis Apostolicæ causa vertitur, non debet de ipsis, per alios, quàm per Summum Pontificem iudicari, c. regula, dist. 3. c. cum venisset, extr. de iudicijs.

*Quid Gratia expectatiua?*

Gratia expectatiua, vel literæ de gratia, sunt quæ

30 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
quæ super aliqua dignitate, vel beneficio vacati  
ro, conferendo diriguntur, Clem. gratiæ, & Clem.  
litteras de rescriptis.

*Quid literæ de Iustitia?*

Rescriptum in specie, vel literæ de iustitia,  
sunt, quibus causæ controuersæ cognitio, ad pe-  
titionem cuiusdam priuati, inferiori committi  
tur, c. statutum, extr. eod. c. cum dilecta, eod.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens est, quilibet in dignitate ali-  
qua constitutus. generaliter enim sumpto rescri-  
pto, quilibet, qui delegare potest, potest etiam  
per rescriptum mandare: aliàs in spiritualibus,  
tantùm Papa, & in temporalibus, Imperator per  
rescripta mandant, vel indulgent, Hostiens. in §.  
quis possit, eod.

*Quod Obiectum?*

Obiectum rescriptorum sunt, omnes res cor-  
porales, & incorporales, de quibus controuersia  
moueri potest: siue sint priuatorum, siue vniuer-  
sitatum: siue sint spirituales, sacræ, religiosæ, siue  
temporales, c. querelam, extr. de elect. c. 2. c. inter  
cæteras, c. olim, c. aded, c. capitulum, extr. de re-  
scrip. c. ex parte, extr. de sepul.

*Quæ Forma?*

Forma rescriptorum est, vt nomen Pontifi-  
cis, vel Imperatoris præponatur, annus incarna-  
tionis,

tionis & pontificatus, (si Pontificis: vel si Imperatoris, dies, consul, indictio) locusque subijciatur: faciantque literæ mentionem, inter quos, ad quem iudicem, & per quam personam fuerit dictitata iussio, & de his, quæ processum negotij, causamque principalem contingunt, & si hæc, prout narrantur, veritate nitantur, mandetur aliquid fieri, vel omitti: debetque imperiale rescriptum, purpurea scriptura scribi signarique, ardore cocti muricis, & triti cochilij, manuque Imperatoris subscribi, c. ex parte, c. eam te, c. significauit, extr. eod. c. gratum, de offic. delegat. c. ex tenore, extr. de test. l. sancimus, & l. sacri affatus, C. de diuers. rescript.

*Quæ causa Procatartica,  
& Impulsua?*

Sunt, necessitas, utilitas, euidens meritorum prærogatiua, & querela impetrantis, 1. quæst. 7. c. tali coniugio, c. cum nobis, extr. de elect. c. ad aures, c. sicut, extr. eod.

*Quæ causa finalis Rescriptorum?*

Causa finalis est, vt Principis iussio in causis, quibus ipse Princeps præesse non potest, ad conferendam gratiam, vel iustitiam administrandam, per eos, quibus hoc delegatum est, executio-  
nem sortiatur.

*Qui*



*Qui sunt executores Rescriptorum?*

Executores rescriptorum sunt, delegati canonici cathedralis Ecclesiæ, principalis Officialis Episcopi, & religiosus conuentualem Prioratum obtinens: vel quilibet alij in dignitate constituti, & habitantes eo loci, quo Actor & Reus fixa sede cõmorantur, Clem. etsi principalis, de rescript. Sunt tamẽ 6. casus, quibus Actore & Reo eiusdem diocœsis causa committi, extra diocœsim possit, scilicet, nisi ab Episcopo cõtra aliquẽ de sua diocœsi, vel ab aliquo contra eum, aut cõtra eius capitulum, seu contra vniuersitatem ciuitatis, villæ, aut castri fuerit actio dirigenda: vel, nisi Actor eandem ciuitatem seu diocœsim intrare non audens, aut sui aduersarij potetiam meritò perhorrescens; cùm inter ipsas nequeat conuenire securè, c. statutum, §. cùm verò, de rescript. in 6.

*Qui Effectus?*

Effectus rescriptorum super litibus impetratorum sunt duo: primò, quòd rescriptum speciale ius statuatur in negotijs & personis, in quibus, & inter quas, conceditur, c. cõstitutus, extr. eod. Secundò, sicut actiones annales prætorix, quæ de sui natura temporales sunt, & anno expirant, per litis contestationem perpetuantur, ita etiam perpetuantur, si libellus Principi porrigatur, & ille ad eum rescribat, c. 1. C. quando libel. prin. dat. litis cont. faciat. Si alia ex causa rescriptum concedatur vim & authoritatem constitutionis scriptæ

scriptæ habet, obligatq; ad eius obseruationem omnes, ad quos dirigitur, c. si quando, extr. eod. speciale tamen derogat generali, d. c. pastoralis, §. quoniam, c. studuisti, extr. de offi. deleg. præferturq; posterius priori, c. cæterum, §. 1. extr. eod. & ibi DD. extra quos casus antiquius præfertur, modò segnīs nō fuerit impetrator illius in eo reddendo, vbi nullum certum beneficium in eo designaretur, Abb. c. Capitulum, num. 4. eod. Sin autem inter duos impetrantes non appareat prioritas vter præferendus alteri? Deciditur illa quæstio, in c. duobus, de rescript. in 6. is, cui præbenda collata est præferendus est alteri, qui nondum consecutus est. & sic melior est conditio possidentis, tueturq; is in possessione. Si verò neutri eorū, vel vtriq; præbenda collata est præfertur is, qui primò præsentauit. Quòd si forsā simul in præsentando concurrant? illi, ad quos spectat Canonicoꝝ receptio, & collatio præbendarum: vel eorum maior pars, ex ijs alterum, quem voluerint, eligere tenentur, quo electo, alter omninò carere debet impetratis, nisi ex tenore literarū expressè appareat, quod vtrique ipsorum prouisum sit, d. c. duobus, de rescript. in 6.

### *Quæ Cognata?*

Cognata sunt, omnes constitutiones scriptæ & statuta singularia, Principum placita, senatusconsulta, & aliæ iuris partes.

### *Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, lites, controuersiæ, veritas  
C  
petitio-

petitionis, possibilitas, & honestas rei, cap. dicenti, §. vniuersa, 25. q. 2.

*Quæ Pugnantiæ?*

Pugnantiæ sunt, falsitas impetrationis, abusus rescriptorum, vitium formæ, & dolus culpæ impetrantis.

*In quibus consistit Falsitas?*

Falsitas in expressione falsitatis, & suppressione veritatis, consistit, cap. in literis, extr. de rescript. circa quæ distingue: aut per fraudem & malitiam, aut, per simplicitatem & ignorantiam, rescriptum impetratum est. Si primo modo, falsitate expressa, & suppressa veritate, in superuerfuitatis pœnam, nullum ex literis commodum consequitur impetrans, c. dicenti, 25. quæst. 2. d. cap. in literis. Si posteriori modo: distinguendum, quæ falsitas suggesta, & quæ veritas suppressa fuerit? Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ, quamuis fuisset tacita vel expressa nihilominus in forma communi literæ datæ fuissent, tunc delegatus non sequens formam in literis appositam, secundum ordinem iuris in causa procedere potest: si autem per huiusmodi falsitatis expressionem, & suppressionem veritatis, literæ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expressa, nullæ datæ fuissent literæ, à delegato non est aliquatenus procedendum: nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam præsentiam conuocatis de precum qualitate cognoscat, ut sit in utroque casu eadem ratio, quæ delegantem mouerit, moueat etiam

etiam delegatum & vbi delegans suas denegaret literas, delegatus etiam commissæ cognitionis officium nullatenus interponat, c. super literis, extr. eod.

Abutentes etiam rescripto priuantur comm. modo rescripti, & condemnantur in sumptibus & damnis aduersario, c. quia nonnulli, eod.

*Qui sunt modi abutendi Rescripti?*

Modi abutendi rescripti sunt. 1. Si obtentas sub nomine suo literas, alijs eiusdem nominis tradunt. 2. Si quos volunt fatigant indebitè per easdem. 3. Si tales eodem modo recipiunt. 4. Si illos, contra quos nihil habent quæstionis faciunt in iudicium euocari. 5. Si literas ipsas ad futuras trahunt controuersias, quæ nondum erant tempore impetrationis exortæ. 6. Si quempiam super vero negotio, vel etiam malitiosè super pluribus personalibus actionibus. quæ sub vno iudice, tractari commodiùs possunt per varias literas coram diuersis iudicibus trahunt, vt laborib. fatigatus aduersarius & sumptibus, vel componere, vel cedere iuri suo compellatur. 7. Si Reus Actorem eodem tempore ad diuersa loca, vel indeterminatè ad villam, quæ commune cum pluribus eiusdem prouinciæ villis habet vocabulum citari procurat, & dum non comparuerit, quasi contumax excommunicatur, & sic eum à sua intentione repellat, c. nonnulli, c. quia nonnulli, extr. eod. c. dispendia, de rescript. in 6.

C 2

Quæ

*Quæ vitia formæ obstant Rescriptis?*

Vitium formæ vires rescripti eneruat: quod etiam varijs modis contingit. Primò. Si rescriptum nõ continet, annum incarnationis, diem, consulem, indictionem, locum, nomen, & subscriptionem Pontificis, vel Imperatoris, c. eam te, c. constitutus, c. significavit, de rescrip. eod. c. gratum, extr. de offi. deleg. c. inter dilectos, extr. de fide instrum. 2. Si rescriptum ad beneficium impetratum de beneficio impetrãtis non faciat mentionem, c. à Deo, extr. eod. 3. Si in secundo rescripto per aduersarium impetrato non fiat mentio de primo, subsistit primũ, & non secundum, aliàs valet secundum: Et si primum fuit impetratum communi consensu partium, non valet secundum impetratum per alteram partem, c. cæterum, c. ex parte, extr. eod. 4. Si in rescripto taceatur dignitas impetrantis. 5. Si falsa in rescripto fuerit Latinitas, c. ad audientiam, eod. 6. Si primæ literæ sint speciales, & primæ generalitatem contineant. Speciales enim literæ derogant literis generalibus, super non specificatis in eis, quãquam de illis nullam faciant mentionem, c. pastoralis, §. quoniam, c. si propter, de rescrip. in 6. Hinc est quod iurisdicctio per generales literas concessa, per speciales, quantum ad ea, quæ specialiter exprimuntur, penitus eneruaretur, d. c. pastoralis, §. quoniam, vers. nos igitur. 7. Si per rescriptum frangatur in ecclesia numerata numerus præbendarũ, non facta in ijs de numero mentione, c. constitutus,

tutus, extr. de rescrip. 8. Si rescripta continent, vt quis vltra duas diætas extra suam diecœsim per literas apostolicas ad iudicium trahi possit, c. nonnulli, §. cùm autem, extr. eod.

*Quibus modis dolus, vel culpa impetrantis  
Rescripta eneruant?*

Dolum & culpam impetrantis validitati rescriptorum aduersari, varijs etiam modis contingit. 1. Si primus impetrans beneficio impetrato, dolo vel negligentia non fuerit vsus, c. ad aures, extr. eod. 2. Si callidè subreptitias consecutus fuerit literas, c. cùm dilecta, eod. 3. Si in literis Gratia tacuit perpetuam vicariam, c. postulasti, eod. 4. Si literæ ad lites, fuerint impetratæ sine speciali mādato domini, nisi impetrentur per coniunctam personam. Ratio est: ne propter eas laborum vel expensarum dispēdio molesteretur, vel indebitè fatigaretur aduersarius, c. nonnulli, extr. eod. 5. In culpa etiam dicitur impetrans, si nimis diu expectauit, & longas in petendo traxit moras, vt ab alio præueniretur. Secundum enim rescriptum super beneficio nihil prodest, si alius prius id per preces impetrauit: primus enim præfertur & solus admittitur, c. capitulum, extr. eod. 6. Si habens literas Pape, ad beneficium, eis, propter annuam pensionem, renunciet, literæ beneficiales per eum hoc tacito impetratæ no subsistūt, c. ad audientiam, eod. 7. Si procurator reuocatus, & de hoc certificatus, extra iudicium impetrauit, non valet rescriptum: secus tamen, si in iudicio dūmodò reuocatio ad notitiam aduersarij, vel iudicis nō

peruenit, c. ex parte, extr. eod. 8. Si in literis executorijs impetrans falsò dixit, monitorias precessisse, c. ex insinuatione, eod. 9. Si impetretur ab excommunicato, ipso iure nullum est, & inde secutum; nisi in causa excommunicationis & appellationis, c. ipso iure, de rescript. in 6. 10. Si impetrans peruersè petat, quod iuri diuino, iuri publico, & laudabili consuetudini aduersetur, c. rescripta, 25. q. 2. 11. Si qualibet alia ratione impetranti possit dolus, vel negligentia imputari, c. si autem, c. plerunque, extr. eod.

### AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Per iudicium iniurijs aditus patere nõ debet, c. nonnulli, extr. eod.*

*Lites restringenda sunt potiùs, quàm laxanda, c. nonnulli, §. cum autem, eod.*

*Gratia generalis non præiudicat speciali privilegio, consuetudini, vel statuto, c. si propter, eod.*

*In literis ad beneficia impetratis inspicitur tempus data, c. si eo tempore, eod. in 6.*

*Rescripta quoad illos, quibus, & inter quos conceduntur, vim constitutionis habent, c. 2. cap. cum dilecta, eod. c. nouit, de Appell.*

*Diuina consilia non sunt aded sapienti corde & alta mente dijudicanda: sunt enim inscrutabilia & incomprehensibilia, c. Nabuchodonosor, 23. q. 4.*

*Rescriptum contra ius impetratum, est manibus tenentis euellendum, nec laudabili consuetudini praualet, c. fin. de consuet.*

Ordin-

Ordinaria iurisdictio à Deo est, sed delegata ab homine.

Mutato iudice, mutatur iudicium.

Reus in exceptionibus partibus Actoris fungitur.

Conditio, si preces veritate nitantur, semper inesse literis intelligitur, c. 1. eod.

Rescriptum cause inhibens cognitionem falsi suspicionem non caret, c. 2. eod.

Consuetudo interpretatur rescriptum, quæ est optima legum interpret, c. cum dilectus, de consuet.

Eius est interpretari, cuius est condere: ergo interpretatur rescriptum, qui concessit, c. inter alia, extr. de sententijs excom.

Obtenu alicuius exceptionis peremptoria principale negotium contingens, non retardatur litis contestatio, nisi de re iudicata, vel transacta, vel finita excipiat litigator, c. exceptionis, extr. de litis contest.

Potestas dandi iudicem ex iurisdictione procedit.

Rescriptum, vel priuilegium, vel indulgentia, quod contra, vel præter ius aliquid continet, derogat generali, id est, mandato, vel rescripto, vel priuilegio, Inno. c. 1. eod.

In iudicijs non est habenda acceptio personarum, 4. q. 4.

Papa omnia iura in scrinio præsumitur habere recondita, 30. q. 1.

Vacante sede ea, quæ sunt iurisdictionis deuoluuntur ad capitulum, c. cum in cunctis, de elect.



Delegatio non debet excedere fines mandati, c. cum olim, extr. de offi. deleg.

Rescriptum salua intentione mandantis & proprietate verborum late, licet alias strictè interpretandum est, c. sede, extr. eod.

Consilium in alterius præiudicium mutare nõ licet, c. ex parte eod.

Partes Rei fauorabiliores sunt partibus Actoris, d. c. ex parte, eod.

Spoliatus ante restitutionem, de facto non cogitur respondere accusatori, nec alij in criminali causa, nec libellus dandus, nec deliberandum, an sit recipienda eius accusatio, imò salua sunt eius exceptiones, tam peremptoria, quàm declinatoria iudicij, 2. quest. 2. c. 1. per totum, 3. quest. 2. c. 1. & 3. per tot. 2. q. 7. c. Symmachus.

Verba ambigua sunt interpretanda secundum ius commune & statuta, c. cum dilectus, extr. de cõsuetud.

Fraus nemini debet patrocinari, c. ex tenore, extra, eod.

Mentiri plus est, quàm lenonium facere, c. postulasti, eod.

Si dominus ratum habuit factum procuratoris falsi siue expresse siue tacite, dummodo eius nomine agatur, vltèrius contravenire non potest, Innoc. c. ex parte, eod.

Iurisdictio priorum iudicum est suspensa, vbi causa appellationis est commissa ex certa scientia, c. pastoralis, eod.

In literarum impetratione non sufficit narrare factum, nisi quis narret causam facti, alias præsumitur scriptum falsum, c. cum dilectus, extr. eod.

NON

Non potest quis de vna eademq; re sub pluribus iudicibus conueniri, c. ex tenore, c. super literis, extr. eod.

Appellationi non est deferendum, quando causa iudicibus, appellatione remota, est commissa, cap. sicut, eod.

Duo alternatiuè proposita in rescripto, ad vnum effectum consequendum, sufficit vnum probari, c. inter ceteras. Secus autem, si plura narrantur diuersos effectus operantia, c. olim, eod.

Is, ad quem rescriptum Papa dirigitur, debet illi parere, vel causam rationabilè, quare parere non possit, c. adsignare, c. si quando, c. cum te, eod.

Delegatus debet exequi rescriptum, nisi fuerit reuocatum, de quo cognoscit Ordinarius, c. cum contingat, eod.

Si occasione duorum rescriptorum, vnius scilicet in causa principali, alterius in causa appellationis, contenditur, non iudex super principali, sed deputatus super appellatione, cognoscere debet de validitate appellationis, c. dilectus, eod.

Rescripta contra ius elicta ab omnibus iudicibus refutanda sunt: nisi fortè sit aliquid quod non ledat alium, & profit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat, c. rescripta, 25. quest. 2.

Rescriptum sortitur effectum quod cum iuris & legum ratione concordat, c. dicenti, 25. q. 2.

Rescripta, siue sint annotationes, siue pragmatica sanctiones, expressam debent in se habere conditionem, si preces veritate nitantur: mendax enim precator de-

42 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
bet carere impetratis. & quibus scripta diriguntur sunt  
puniendi, si precum mendacia vetuerint argui, c. dicen-  
ti, 25. q. 2. §. rescripta, & §. vniuersa.

## DE CONSVETVDINE.

### Titulus IIII.

#### Continuatio.

**D**iuturni mores, consensu vtentium appro-  
bati, legem imitantur: idè inueterata con-  
suetudo, modò bonis moribus, decretis, concii-  
lijs, non aduersetur, in rebus & iuribus Ecclesia-  
sticis, constitutionis scriptæ habet vigorem, c.  
diuturni, dist. 12. c. consuetudo, dist. 1.

#### *Vnde dicitur Consuetudo?*

Dicitur Consuetudo ab eo, quòd in commu-  
ni est vsu, d. c. consuetudo. Et post naturalem le-  
gem exordium habuit, ex quo, homines conue-  
nientes in vnum cœperūt, simul habitare, c. non  
est, dist. 6.

#### *Quotuplex Consuetudo?*

Ea genericè vel specificè accipitur. Genericè  
quidem, vt consuetudinem, constitutionem, o-  
mnesq; iuris partes contineat. Vnde dicitur in c.  
in istis, dist. 4: Firmantur leges, non si institutæ  
vel promulgatæ sint, sed si vtentium moribus  
approbentur. Specificè autè, quæ moribus tan-  
tùm vtentium reseruata, in consensu populari  
tacitè consistit, & per vsum longi temporis com-  
probatur: nec scripturam, nec institutionem, vel  
promulgationem solennem requirit, c. consue-  
tudo, dist. 1.

Con-

*Consuetudo Specifica quotuplex?*

Duplex. Vniuersalis vel Localis. Vniuersalis est, ius non scriptum, in solo populi, vsu confitens, quod non in certo aliquo loco, sed ab omnibus, vel à multis, indifferenter, moribus obseruatur & custoditur. Localis autem est consuetudo, quæ ad certum locum restricta in vim legis municipalis valet, Cynus & Dd. in l. 2. C. quæ sit long. consuetudo.

*Quid est Consuetudo?*

Consuetudo est, ius non scriptum, tacito Maiorum consensu inductum, & diuturnis vtentiū moribus comprobatum, c. diuturni, dist. 12.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens sunt, tacitus consensus, & mores Maiorum, potestatem legis faciendæ habentium, l. de quibus, ff. de legibus. Et vsus longæuus, c. fin. extr. eod. c. non est. de consuet. in 6., c. mos est, dist. 1.

*Quæ causa Materialis?*

Causa materialis sunt, res incorporales: vt iura seruitutum, iurisdictionum, electionum, & similia. quæ speciem aliquam iuris habent: nec exinde peccatum, iniquitas, absurditas, aut præiudicium Ecclesiæ proueniat. Vnde consuetudo in præiudicium Ecclesiæ, vel quæ derogat iuri naturali, seu diuino: cuius transgressio peccatū inducit; ipso iure non subsistit, c. consuetudines, c. cum olim, extr. de consuet. c. 1. de cons. in 6. c. cū contingat, de foro compet. c. scriptum, c. Cumana, extr. de elect.

*Quæ*

*Quæ Forma?*

Forma Consuetudinis, est, vt tacito Maiorū consensu, urgente recta ratione, frequētia actūū maximē iudicialium, vel, si illi nō sint, extraiudicialium, non tamen minus duorum & diuturnitate temporis, quod ad præscriptionem sufficiat, introducatur, l. 1. C. quæ sit longa consuet. l. nemo, C. de Episcopali audientia, c. si. eod. c. diuturni, 12. dist. Nam in his 4. tacita, scilicet, conuentione, iusta ratione, frequentia actūū, & temporis diuturnitate; consuetudinis natura, vis, atq; conditio, consistit. Et, vt Albericus in Rub. C. quæ sit longa cons. ait, consuetudinē concipi, nasci, perfici, & roborari. 1. Concipitur in Ratione, sicuti partus in utero matris. 2. Nasctur, dum, quod recta ratio suadet, vnus aut alter facere cœperit. 3. Perficitur similibus actuum multitudine: dum paulatim omnes quod aliquando per aliquos cœptū est, imitantur. 4. Et vltimò roboratur crebrioribus exercitijs & tēpore legibus præscripto.

*Qui Effectus?*

Effectus cōsuetudinis sunt. 1. Vt legem imitetur, c. diuturni, dist. 12. Vbi dicitur: Diuturni mores (nisi legi sint aduersi) consensu vrentium approbati legem imitantur. 2. Si secūdum legem inducta sit, interpretatur & confirmat legē: optima enim interpres legum, est consuetudo, c. cū dilectus, extr. eod. l. si de interpretatione, ff. de legibus. 3. Cū in neutram partem scripta lex est, neque prohibens, neque permittens, ipsa ob-

ipfa obtinet vim legis, & secundum eam iudicatur, c. consuetudo, dist. 1. l. sed & ea, ff. de legibus. Quod verum est non tantum in contractibus, verum etiam in pœnis. Nec ab ea recedere iudex debet, l. quod si nolit, §. quia, ff. de ædilit. edict. Auth. qua in prouincia, C. vbi de crim. 4. Si contra ius positium, cōstitutionem scriptam, vel legem, inducta sit consuetudo, ipsum tollit, derogat, & præiudicat, vt inquit Gregorius IX. in c. cum tanto, extr. eod. Licet longæuæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est vsque adeo valitura, vt vel iuri positio debeat præiudicium generare: nisi fuerit rationabilis & legitime præscripta. Præscribitur autem in foro ciuili decennio: 40. verò annis in foro Ecclesiæ, in d. c. fin. extr. eod. Bart. & Iason in l. de quibus, ff. de legibus, c. de quarta, extr. de præscrip. c. cum beneficio: vbi glos. in ver. legitima, de præbendis, in 6.

*Quæ Cognata Consuetudinis?*

Cognata sunt, omnes constitutiones scriptæ, & statuta, legesque morales, vt supr. tit. de constitutionibus.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, veritas, possibilitas, honestas, mores, & vsus, c. veritate, c. si solus Christus dist. 8. c. diuturni, dist. 12. c. 2. dist. 4.

*Quæ Pugnantia?*

Pugnantia sunt, contrarius actus, desuetudo, corruptela, & mala irrationabilis; cōsuetudo, c. fin. & ibi Cano. extr. eod. c. consequens, c. nolite, dist. 11. Abb. in d. l. fin. extr. de consuet.

46 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Consuetudo est, ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum lex deficit, c. consuetudo, dist. 1.

Sicuti ratio consuetudinem, ita legem commendat, c. consuetudo, eod.

Ius consuetudinis post naturalem legem exordium habuit, ex quo, homines convenientes in unum, coeperunt simul habitare, c. non est, dist. 6.

Vsus authoritati cedit, prauum usum, & lex, & ratio vincit, c. 2. dist. 11.

Inviolabilis consuetudo est, quae nec humanis legibus nec sacris canonibus obuiat, c. consuetudinis, c. Ecclesiasticus, c. consequens, c. nolite, dist. 11.

Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat, c. nouit, extr. eod.

Quod neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos uiuitur, societate, seruandum, c. illa autem, dist. 12.

Resecanda sunt, quae neque authoritatibus, neque moribus vniuersitatis comprobantur, c. omnia, c. illud, c. nos consuetudinem, c. consuetudo, dist. 12.

Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione conuelli: ita multa sunt, quae aut pro necessitate temporis, aut pro consideratione aetatis, oportet temperari, c. fin. dist. 14.

Consuetudo, optima legum interpres est, c. cum dilectus, extr. eod.

Capitulum sine Episcopo statuta seu consuetudines

*diues nouas facere, vel antiquas mutare non potest, c. cum consuetudinis, eod.*

*Consuetudo non derogat iuri naturali seu diuino, cuius transgressio peccatum inducit, c. cum tanto, eod.*

*Diuturni mores, (modò legibus non aduersi) consensu vtentium approbati, legem imitantur, c. dicitur, dist. 12.*

*Veritati & rationi consuetudo est postponenda, per tot. dist. 8.*

## DE POSTVLATIONE

Prælatorum.

*Titulus V.*

Continuatio.

**S**VNT certi modi, quibus clerici ad dignitatem aliquam euecti, hoc ipso etiam iudices ad exercendam iurisdictionem dignitati annexam, iuraq; reddenda, constituuntur, vt sunt Postulatio, Electio, Translatio, &c.

*Quid Postulatio?*

Postulatio est, vnanimis, certa, simplexq; Collegij petitio Antistiti facta eius personæ, quæ aliquo defectu ad regendam; vel administrandam Ecclesiam admitti non poterat, secundum Abb. in rub. extr. eod.

*Quotuplex Postulatio? & quid solennis?*

Duplex est Postulatio, solennis & simplex. Solennis est, quæ rectè ad Superiorem instituitur, qui omnem postulandi impedimentum remouere potest.

Quid



*Quid simplex Postulatio?*

Simplex est, quæ nullam solennitatem desiderat, sed ei fit cuius cōsensus ad promotionem Postulati necessarius est, Abb. c. 1. Vt si religiosus ad dignitatem aliquam assumeretur, hoc fieri non potest, nisi consentiente Abbate: imò, vt quidam dicunt, totius Conuentus, quia promotio hæc personæ quandam alienationem inducit, quæ rei alienatione maior est, 16. quæst. 1. c. 5. si quis monachus, c. statuimus, 19. quæst. 3.

*Quæ causa efficiens Postulationis?*

Causa efficiens postulationis est consensus & voluntas eorū, qui ius postulandi & eligendi habent iuncta auctoritate & licentia Superioris, c. et si vnanimiter, extr. de elect. c. bonæ, 2. §. Cæterum, extr. eod. c. 1. innotuit, §. vlt. extr. de elect.

*Qui habent ius Postulandi?*

Ius postulandi habent Episcopus, Abbas, Capitulum, Collegium: & omnes, nisi quibus canones eligendi facultatem non dant, vel ex causa euidenti adimunt: vt sunt omnes, qui elegerint indignum postulandum scienter, id est, malæ vitæ, vel minoris scientiæ, vel illegitimum, c. cum in cunctis, c. innotuit, c. scriptum, extr. de elect. Secus si postulârint eligendum, tunc non priuantur, cap. bonæ memoriæ, eod. 2. Si recipiunt in Episcopum postulatum, vel electum, cuius nulla est postulatio, vel electio, d. c. bonæ memoriæ, extr. de elect. extruagan. dispendijs, eod. 3. Si sint postulantes in capitulo suspensi, & excommunicati, c. cum dilectus, de consuet.

4. Si

4. Si nō eligant intra tēpus in Lateranensi consilio constitutū, de con. præb. Et Ecclesiæ nō va. c. 2. extr. de sup. neg. præla. c. 3. 5. Prohibēt canones laicis postulare, c. messana, de elect. sac. sanct. 6. Prohibent Capitulo vel Episcopo, qui quidem ob delictum nō sint priuati iure postulandi, tamen à tertio quōdam, qui sua interesse, ne alius postuletur, asserit, interposita appellatione inhibetur postulādi actus, c. bonæ memoriæ, extr. de elect.

### *Quod Obiectum?*

Obiectum postulationis est, quælibet persona clericalis, quæ, vel ratione Ordinis, ætatis, natalium, criminis, irregularitatis: vel ob aliquem similem defectum eligi non potest. Vt sunt laicus, seruus, libertus, adscriptitius, clericus alterius professionis, Ordinis, & Collegij, monachus professus, vel non professus in alio monasterio constitutus, minor, illegitimus, excommunicatus: & quæuis aliæ personæ irregulares, quæ, ratione irregularitatis à priuilegijs, dignitatibus, & iuribus clericis cōpetentibus arcantur. Quorum 18. recenset Innocent. in c. etsi vnanimiter, extr. eod. 58. dist. c. 2. & c. officij, extr. de elect. c. monasterium, extr. de elect. c. innotuit, de elect. c. cum inter, de elect. c. si quis, 15. quæst. fin. c. Tantis Daniel, dist. 81.

### *Quæ Forma?*

Forma postulationis eadem est, quæ in electionibus, quoad hoc, vt per scrutinium, vel cōpromissum fiat, Abb. c. quia propter, colum. 3. de elect. Debet etiā persona ineligibilis per verba,

D

(postu-

(postulo eligendum) vel (eligo & postulo,) prout potest melius de iure valere, (si dubitetur, an eligi vel postulari possit,) postulari ab his, ad quos spectat confirmatio. Nam qui confirmandi auctoritatem habet, is & postulationem admittere potest, dum maior non sit defectus, quam ab ipso tolli queat: ideo recte ab illis postulatur, qui & ratione dignitatis dispensare possunt, ut ad Episcopatum postulatur quis à Papa, ad alias dignitates ab Episcopis. Clericus alterius professionis seu ordinis, postulandus ab Episcopo, Prælato, Abbate, & Conuentu, quorum consensus coniunctim & diuisim in promotione religiosi requiritur, c. 2. distin. 58. Clem. perpetuo, eod. §. sub ea.

*Quæ causa Impulsiva?*

Necessitas & utilitas. Necessitas quidem: ut si nullus sit in Collegio, cui tunc vacans præfectura committi possit: alioquin enim postulatio non concederetur. Quia, quandiu in eadē Ecclesia idoneus reperitur, non debet aliunde postulari, c. nec emeritis, dist. 61. & c. nullus inuitus, eod. Utilitas autem: ut si spectata probitas, insignis pietas, literarum doctrina, magnus rerum usus, morum vitæque integritas Postulati, eum dignitati vel officio præfici suadeant, c. ad hoc, & c. bonæ memoriæ, extr. eod.

*Qui effectus Postulationis?*

Effectus postulationis est, quod in Postulatum transfundatur ius & potestas regendi, constituendi, instituendi, & confirmandi, aliaque,  
pro

pro cuiusque Postulati dignitate & conditio-  
ne: Non secus, ac si electus vereque confirma-  
tus esset, Abb. cap. 1. col. fin. num. 34. de postul.  
Quod in solenni postulatione verum est: in sim-  
plici tamen postulatione adhuc electione & cō-  
firmatione opus est, cū ea secum non trahat.

Secundus effectus est, quòd cū Postulatus  
omnium postulantium accommodato consen-  
su ius consequatur, simul omnibus postulanti-  
bus ius reuocandi adimatur: ita, vt sine Supe-  
rioris licentia, & permissu à postulatione rece-  
dere non possint, argumento, bonæ memoriæ,  
extr. eod.

### *Quæ Cognata?*

Cognata sunt, nominatio canonica, solennis  
electio, translatio, prouisio.

### *Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, inquisitio, confirmatio, præ-  
sentatio, institutio, postulationis receptio & ad-  
missio, gratia, consecratio, & examinatio.

### *Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, vitium formæ, graue pecca-  
tum, non acta pœnitentia Postulati, perniciēs  
Reipublicæ, & inde exurgens iniquitas, quam  
postulatio continere videtur, si in ea priuata v-  
tilitas communi, & maiori bono Reipublicæ &  
Religioni præferatur.

## A X I O M A T A.

*Frustrà legis auxilium inuocat, qui committit in le-  
gem, c. bona memoria, extr. de elect.*

D 2

Qui

*Quilibet eligi potest, qui, sine alterius requisitione, electioni de se facta consentire potest, c. 1. extr. eod.*

*Interrogatus non respondens pro confesso habetur, c. 1. eod.*

*Approbatio postulationis & Postulati, pro electione & confirmatione habetur: idem datur Episcopis transfundi licentia sine confirmatione alia, c. bona, eod. c. in causis, de elect.*

## DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE. Titulus VI.

### Continuatio.

**P**er electionem clerici in sacris ordinibus dignitatis gradus conscendunt, in quibus constituti non tantum ea, quæ Ordinis, sed etiam quæ Iurisdictionis sunt, post confirmationem & consecrationem acceptam exercent. Modus igitur alter conferendæ dignitatis, constituendiq; iudicis, est electio.

#### *Quid est Electio?*

Electio est personæ cuiusdam dignæ Ecclesiasticæ, per eos, qui ius eligendi habent, ad præfecturam, vel dignitatem canonicè facta vocatio, glos. c. 1. de post. prælat. in 6.

#### *Quotuplex Electio?*

Canonica electio ratione formæ accipitur strictius, strictè, & largè. Stricti⁹ ubi omnia interveniunt, etiam quæ sunt de solennitatibus, quæ à iure præcipiuntur. Et sic loquitur c. 63. dist. c. 1. Strictè, ubi omnia interveniunt, non quæ sunt de solennitate, secundum c. quia propter, eod. sed

sed quæ sunt de substantia. Largè autem dicitur canonica, quæ scilicet secundūius naturale, vbi nulla est seruata forma, sed tantū consensus eligentium & electi interuenit, & non causæ, ex quibus fit nulla electio, c. considerauimus, eod. Dicitur etiam electio ratione formæ duplex. Quia vel fit per compromissum, vel per scrutinium, vt infra.

*Quot modis dicitur Electio, ratione Obiecti?*

Dicitur electio multiplex ratione obiecti. Est enim electio, vel summi Pontificis, vel Imperatoris, vel Episcopi, vel Abbatis, Abbatissæ, aliorumq; Prælatorum.

*Quid electio summi Pontificis?*

Electio summi Pontificis fit per Cardinales, si non maior, vt in alijs electionum speciebus, sed duæ partes, cū ad Superiorē recursus haberi non possit, in vnum consenserint, c. vbi periculum, de elect. in 6. c. licet, de vitanda, de elect.

*Quomodo fit electio Imperatoris?*

Electio Imperatoris est, quæ fit p tres Archiepiscopos, & quatuor principes laicos, quos electores vocant Germaniæ. ita, vt si maior vel sanior pars in vnum consenserit, is præferatur, c. venerabilem, extr. de elect.

*Quomodo fit electio Prælatorum?*

Electio aliorum Prælatorum fit, vel per Papam, vel suffragijs Capitularium, vel Conuentualium Collegij, ex quo Prælatus desumitur.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens electionum sunt, vota, eorum, qui in qualibet electionis specie ius suffragiorū

habent, iuncto electi consensu. Ut in electione Papæ Cardinales: in electione Imperatoris septē Principes Germaniæ: in electione aliorum Prælatorum, Papa, Capitulum, Conuentus: dummodo in Collegio, cui pastor vel prælatus quaeritur, sint idonei; non impuberes, excommunicatione, vel suspensione illegitimi, inordinati, nō professi, c. nemo, & c. ex eo, de elect. in 6. Nota tamen, quòd Cardinales per exceptionem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ab electione Pontificis non repellantur, Clem. ne Romani, §. cæterùm, eod.

*Quod Obiectum Electionis?*

Obiectum electionis est, quævis persona eligibilis. Dicitur autem eligibilis persona de Collegio, à quo electio celebratur, vel si ibi idonea persona non inueniatur, de alio, cuius meritis, quæ in scientia moribus, ordine, vita, ætate, & natalibus consistunt eligentes permoti ad eligendum procedunt, c. cùm in cunctis, 36. dist. c. in nomine Domini, §. eligatur, dist. 23. vbi glo. verb. gremio. is enim, qui ad dignitatē vel præfecturam assumitur ex legitimo matrimonio triginta annorum, item grauitate morum, & literarum scientia conspicuus esse debet: minor enim 14. annis, illiteratus, excommunicatus, vel ob delictum suspensus & illegitimus promoueri nō possunt, 24. dist. c. qui Episcopus, 38. dist. c. omnes, c. vltimo & penul. de ætate, & quali.

*Quæ Forma?*

Forma electionis duplex est, vel enim fit electio per scrutinium, vel per compromissum.

*Quo-*

*Quomodo Electio fit per Scrutinium?*

Per scrutinium fieri dicitur, si, presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretò & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli consentit, c. quia propter, eod. Hic enim ordo obseruatur: vt si per scrutinium electio instituat, 1. omnium, qui ius suffragiorum habent, fiat congregatio, 2. scrutatorum constitutio. 3. votorum exquisitio. 4. scrutiniij publicatio. 5. votorum collatio. 6. collationis publicatio. 7. electionis celebratio. 8. electionis decretum. 9. decreti presentatio. 10. electi inquisitio. 11. electi cõfirmatio. 12. electi cõsecratio. Quorum omnium breuis, & ad electionis ex scrutinio formam intelligendam accommodata declaratio, ex subiectis descriptionibus patebit.

*Quid est Congregatio?*

Congregatio est, in loco idoneo ad hoc electionis negotium obeundum destinato, eorum, quibus eligendi potestas est, conuentus, c. in nomine, §. eligatur, vers. fieri, dist. 23. c. cum congregatio, eod.



*Quid est Constitutio?*

Constitutio est, quorundam de Collegio, ad sententias omnium Collegarum secretò & sigillatim exquirèdas & describendas ordinatio, d. c. quia oportet.

*Quid est Exquisitio?*

Exquisitio est, suffragiorum eligentium secretò & sigillatim facta inuestigatio.

*Quid est Publicatio?*

Publicatis, est, cōsensuum per inquisitionem descriptorum manifesta recitatio, c. cū post petitam, eod.

*Quid est Collatio?*

Collatio, est numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meritorum ad merita, eorum, qui elegerint, facta comparatio, c. dudum, & c. in Genesi, eod.

*Quid collationis Publicatio?*

Collationis publicatio est maioris & fanioris partis votorum, inquantū aliorum votis numero & zelo, meritisque præpolleat, declaratio.

*Quid Decretum?*

Decretum est, scriptura publica per Tabellionis, vel alicuius authenticæ personæ, manum confecta, omniumque de Collegio sigillis subscripta. Qua tota series & forma electionis nomina eligentium & consentientium, subscriptionesque cuiuslibet continentur, cap. Episcopus, 61. dist. c. innotuit, extr. de elect. 63. dist. c. vota, 1. q. 2. c. si quis aut, c. cū inter canonicos, extr. eod.

*Quid*

*Quid Decreti Præsentatio?*

Decreti præsentatio, est scripturæ publicæ, cui electionis series inscripta est, electo infra 8. dies facta oblatio.

*Quid electi Inquisitio?*

Electi inquisitio est, ab eo, qui ius confirmandi habet, in personæ præsentatæ mores, scientiam, ætatem, conuersationemque: num munerari, cui præficiendus est, idonea sit? diligens facta inuestigatio, c. si fortè, in 6. c. in cunctis, c. dudum, extr. eod.

*Quid est Confirmatio?*

Confirmatio est, approbatio promoti ad dignitatem, post examinationem electionis eiusque processus & personæ electi ab immediatè Superiori facta. Abb. c. cum Ecclesia, num. 8. extr. de elect.

*Quid Consecratio?*

Consecratio fit, vñctione capitis & manuum, Chrismate, solennibus verbis, precibusque additis, examinatione etiam præuia: qualem Carthaginense concilium IIII. præmonstrauit. Et quidem hora 3. Dominicæ lucis, forma illa solenni seruata, quæ alibi edocetur, glos. & Abb. de sac. vñct. &, c. Episcopus, 23. dist. seu filuest. vers. consecratio.

*Quomodo per compromissum Electio celebratur?*

Ex compromisso celebratur electio, si eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant

deant de prælato vel pastore, d. c. quia oportet, c. cum dilectus, c. cum in iure, eod. Et in hac electione ordo ferè idè, qui in electione ex scrutinio, obseruatur.

*Quid Electio per Spiritum sanctum,  
vel inspirationem?*

Est & alia electio, quæ ratione diuinæ cuiusdam concordia, siue præscripta forma seruata sit, siue non, per inspirationem dicitur. Et celebrari fertur, quando subito omnes eligètes quasi diuino numine afflati suos consensus vnanimiter in vnum dirigunt. Ad quam requiritur, vt absque vitio simonia, conpirationis, coniuurationis, requisitionis, vel consensus extra capitulum habiti processerit, Cano. in d. c. quia propter, eod. & c. cum post petitam, eod.

*Qui modus eligendi Pontificem, Imperatorem, & Abbatissam?*

Speciales etiam formæ, solennia, & modi eligendi, examinandi, adprobandi, consecrandi, coronandi, præscribuntur in electione Imperatoris, in c. venerabilem, extr. de elect. Sûmi quidem Pontificis, in c. vbi periculum, §. hoc sacro, eod. in 6. Et Abbatissæ, in c. indemnitatibus, §. sanè, extr. eod.

*Qui effectus Electionis?*

Effectus electionis consideratur circa alterâ partem Rubricæ, scilicet, electi potestatem. Est autem illa potestas ferè nulla ante confirmationem. Quia clericus ad Episcopatum, vel præfecturam

sturam electus, nondum confirmatus, neque beneficia conferre, neque alia, quæ muneris sui sunt, administrare potest, c. nosti, c. cum vobis, & c. quod sicut, §. super, extr. eod. Sed per confirmationem, nedum consequitur potestatem exercendi ea, quæ sunt Ordinis, sed tantum ea, quæ sunt iurisdictionis, Abb. c. qualiter, extr. eod. & c. avaritiæ in 6. eod. Sed per consecrationem, qua fœdus conjugij spirituale, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, intelligitur consummatum: quod electione fuerat initiatum, & confirmatione ratificatum, plenam potestatem administrandi ea, quæ sunt iurisdictionis & ordinis adipiscitur, c. transmissam, & ibi glos, eod.

*Quæ dicuntur esse Iurisdictionis?*

Iurisdictionis esse dicuntur veluti potestas iudicandi, excommunicandi, corrigendi, iuramenta à vasallis accipiendi: item confirmandi, inuestiendi, beneficia conferendi, & quæ his sunt similia.

*Quæ dicuntur Ordinis?*

Ordinis sunt, quæ maioris inquisitionis discussionem exigunt, in quibus censentur clericorum ordinatio, & depositio actualis, Chrismatis confectio, virginum benedictio, Ecclesiarum & altarium consecratio, & similia.

*Infra quod tempus Confirmatio post electionem peti debet?*

Infra quod tempus autem peti debeat Cōfirmatio,

matio,

60 ANALYS. IVRIS PONTIFICII

matio, varia iura diuersis temporibus fuerunt obseruata: circa quæ vide glos. fin. c. quàm fit, de elect. in 6. Crebrius tamen posterioribus constitutionibus obtentum, vt confirmatio infra 3. menses, Consecratio autem infra 6. peti & expediri debeat; aliàs promoti per electionem Ecclesijs ipso iure priuantur, c. 2. vbi Abb. num. 22. de transf. Epis. c. 1. & 2. dist. 73. & c. 1. & 2. dist. 100. Abb. in c. cum in cunctis, §. cum verò, eod. Trid. conf. cap. 9. sess. 7. & 23.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, postulatio, nominatio canonica, translatio, collatio, institutio, prouisio, præsentatio.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, citatio, decretum, collatio, præsentatio, deuolutio, dispensatio, suffragia, examinatio, inquisitio, approbatio, confirmatio, consecratio, iuramentum fidelitatis.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, omnes modi, quibus electio non procedit, sed ipso iure nulla, vel ex post facto irrita sit. Quod vel ratione formæ, vel facto eligentium, vel electi contingit.

*Qui sunt modi infirmandæ electionis, ob vitium Formæ?*

Modi infringendi electionem, ob vitium formæ, sunt:

1. Si electionem collatio nō præcessit; vel quæ facta

facta est à maiori parte capituli, vel quæ non fuit communis, c. in Genesi.

2. Si electio post collationem ex interuallo celebrata sit, c. cum post petitam, & c. Romana Ecclesia, extr. eod.

3. Si instituat electio ex scrutinio, & contra præscriptam scrutiniij formam celebretur electio, d. c. quia propter, & c. in Genesi, eod.

4. Si compromissarius, secundum traditam sibi metam, exquisitis & in scriptis redactis voluntatibus singulorum, illum eligat, in quæ non maior pars capituli, sed plures aliorum computatione cõsenserunt: non tenet electio, cum præter formas Concilij fuerit celebrata, c. si cui eligendum, extr. eod.

*Quomodo ratione eligentium nulla dicitur Electio?*

Ratione eligentium nulla dicitur, vel infirmatur, electio.

1. Si per alios, quàm per collegium, cui eligendi potestas est, electio fiat, c. 1. extr. eod.

2. Si ad clamorem populi facta sit: quia possunt ad hoc plures premio & mercede corrumpti, c. Osius Episcopus, eod.

3. Si Pontifex non à duabus partibus Cardinalium, nulla exceptione obstãte, vel alius Prælati non per maiorem & sanio rem partem fuerit electus, c. licet, c. auditis, c. si quando, eod.

4. Si non ex libertate, sed coactione eligentium fiat, c. cum terra.

5. Si ab ijs, qui suspensionis censurã notati sunt, c. cum inter.

6. Si

62 ANALYS. IVRIS PONTIFICII

6. Si contempta minore parte, electio fiat per partem maiorem, c. quòd sicut. Ratio est in c. bonæ memoriæ: plus enim consuevit in talibus contemptus vnius obesse, quàm multorum contradictio in præsentia.

7. Si maior pars postulantium, & minor eligentium indignum sit, & hoc ignorent postulantes, c. scriptum, eod.

8. Si non per eos, qui ius eligendi habent, & præsentia sunt, sed per eorum procuratores electio celebretur, d. c. quia oportet, §. illud autem.

9. Si electio Pontificis per laicos & canonicos iure consuetudinario, vel nullo iure facta sit, c. Massana, eod.

10. Si simoniacè, siue sciente, siue ignorante electo, electio celebrata fuerit, c. si alicuius, eod.

*Quibus modis Electio non subsistit ex parte Electi?*

Ex parte electi non subsistit electio variè.

1. Si electus non præstet fidelitatis & obediendi iuramentum, c. significasti.

2. Si schismaticus ad vniionem Ecclesiæ reuersus, non subsecuta, per dispensationem, confirmatione electus sit, c. quia diligentia.

3. Si electus ad dignitatem triginta annorum non sit, c. cum nobis, c. cum in cunctis.

4. Si ex nefario & vetito coitu, vel non legitimis nuptiis natus, c. innotuit, d. c. cum in cunctis.

5. Si non sit sufficiens scientia, vel morum integritate præditus, c. qualiter, c. dudum.

6. Si ante confirmationem Superioris res sacras

cras administret, c. nosti, c. cum nobis, c. quod si-  
cut, §. super, eod. Quod verum est, siue admini-  
stret per se, vel per alium, in totum, vel pro par-  
te, sub quocunque pretextu, c. auaritie, in 6. eod.  
& extrauag. in iniuncta, eod.

7. Si non professus eligatur ad regimen Eccle-  
siæ regularis, c. cum causam, c. nullus, eod.

8. Si Abbas electus non instructus regula mo-  
nachali, c. officij sui.

9. Si eligendus consenserit electioni de se fa-  
cta per abusum potestatis secularis, c. quisquis,  
extr. eod.

10. Si electus habeat plures dignitates, & plu-  
ra beneficia curata, sine dispensatione Papæ, c.  
dudum, c. vt quis, in 6.

11. Si, dato pretio, vel factis promissis, se cu-  
ret eligi, c. si alicuius.

12. Si electus intra vnum mensem electioni  
non consenserit, vel, post accommodatum con-  
sensum, intra tres menses confirmationem non  
petierit, c. quam sis Ecclesijs, in 6.

13. Si quis religiosorum ad præfecturam ex-  
tra administrationem sui Ordinis electus sit, c.  
quorundam, in 6.

14. Si quis clericorū ad duas prælaturas simul  
electus fuerit, vna apprehensa, electio alterius cor-  
ruit, c. vt quis duas, eod.

15. Si electi vitium reueletur, quod antea erat  
occultum, eod quod si notum fuisset, eligi non po-  
tuisset, c. si electio, in 6.

16. Si electus, præbito consensu, renuntiet ele-  
ctioni de se facta, d. c. si electio, in 6.

17. Si post cōsensum electioni datum vitam  
cum

eum



64 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
cum morte commutet, d. c. si electio, in 6. de  
elect.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Vnus est Electionis actus, licet habeat plures partes:  
scilicet, initium, in scrutinio vel compromisso, medium,  
in collatione, & finem, in publicatione electionis, c. Eccle-  
sia, extr. eod.

Si confirmationem electionis, propter debitam iuris  
solemnitatem in confirmatione ipsa omissam: vel ex  
eo, quia is, qui confirmavit, eam potestatem confirman-  
di non haberet, irritam nuntiari contigerit, non propter  
ea procedens electio canonica infirmatur, c. si confirma-  
tionem, de elect. in 6.

Electio ad Episcopatum fieri debet digno scientia,  
moribus, etate, & natalibus, c. si forte, in 6. c. cum in cū-  
ctis, c. dudum, eod.

Par in parem non habet imperium, c. innotuit, eod.

Canonicis cathedralis Ecclesie ipso iure, vel per sen-  
tentiam (præterquam in casu negligentia) eligendi pote-  
state privatis ad Papam ius devoluitur eligendi: in infe-  
rioribus Ecclesijs semper ad proximum superiorem, c.  
quoniam malitjs hominum non est indulgendum, c.  
avaritia, §. cum itaque, eod.

Vota conditionalia & incerta in electionibus repro-  
bantur, & habentur pro non adiectis, & recidunt in pu-  
rè consentientes, c. in electionibus, eod. in 6.

Per confirmationem electionis non transfertur po-  
testas exercendi ea, quæ sunt ordinis, quia illa transfe-  
runtur per consecrationem, c. transmissam, eod.

Non

Non solum in temerarijs, sed etiam illicitis iuramentis, licet contrauenire, sine auctoritate Superioris, si necessitas urgeat, vel non posset haberi Superior, à quo petatur absolutio, eod.

Contradictio, pro consensu, non habetur, vbi expressus non requiritur, eod.

Qui confirmandi ius habet, si eligat, confirmasse videtur, arg. 67. dist. c. in synodo.

In electionibus, eligentium numerus, qui consistit in quantitate: & auctoritas, qua consistit in partibus, in qualibet dignitate, maioribus ordinibus, prouectiori aetate, & tempore ordinationis attendi debent, 74. dist. c. Episcoporum.

Vbi periculum maius intenditur, ibi plenius consulendum, c. vbi periculum, eod.

Potestas data compromissario, ad eligendum Prælatum, re non integra, non potest reuocari: & desinit esse res integra, postquam compromissarij ceperunt habere tractatum, c. in causis, & c. cum dilectus, eod.

Nemo rei, in qua se ius habere credit, renunciare praesumitur, c. licet.

Quod nullum est, impedimentum non praestat, c. considerauimus, eod.

Iura iuribus concordare, & correctiones legum vitari debent, c. cum expediat, in 6. eod.

Vbicunque electio est nulla, propter personam electi, tum ipso iure eligentes priuati erunt potestate eligendi: non autem, si propter defectum formæ electio sit nulla, c. quia propter, extr. de elect.

E

Qui

*Qui permittitur electioni de gratia interesse, nec ius, nec commodum aliquod sibi acquiritur, c. sollicitudinem, extr. de appellat.*

*Cardinalium pacta, obligationes, iuramenta, quæ data vel facta sunt, de aliquo eligendo in Summū Pontificem, inania sunt, c. vbi, §. ceterum, eod.*

## DE TRANSLATIONE EPI- scopi. Titulus VII.

### Continuatio.

**Q**vandoque Prælati Ecclesiam, cui electionis celebratæ vigore præfectus, deferit, & ad aliâ parâ dignitatis consequendæ officijque in ijs, quæ ordinis & iurisdictionis sunt, exercendi gratia, utilitate, & necessitate Ecclesiæ flagitante transfertur.

#### *Translatio quid est?*

Translatio est, cuiuslibet personæ in sacris Ordinibus constitutæ, quæ postulari potest ab vna Ecclesia ad aliam, causa necessitatis, vel utilitatis consensu superioris Prælati facta transpositio, 8. quæst. 1. per totū, & 21. quæst. 2. per totū, c. cum ex illo, c. inter corporalia, extr. de transl. c. gratum, extr. de postulando.

#### *Quot modis accipitur Translatio?*

Translatio, accipitur genericè & specificè. Specificè quidem, si de solo Episcopo intelligatur, vt hoc titulo. Genericè autem, vt de omnibus personis Ecclesiasticis, quæ postulari possunt,

possunt, intelligatur, sic nō tantūm Episcopus, verūm etiā Cardinalis, Archiepiscopus, Abbas, Prepositus, & quivis beneficiatus transferri potest, c. dilectus, de præbend. c. scriptum, extr. de elect. c. bonæ, extr. de postul. c. cū venerabilis, extr. de consuet. c. dudum, de elect. c. admonet, extr. de renunciat.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens, si Cardinalis, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, vel Præpositus transfertur, est, solius Papæ autoritas, c. inter corporalia, extr. eod. Sin autem beneficiatus transfertur, autoritas immediatè superioris Prælati, ad cuius diocesim quis transfertur, iuncto consensu clericorum, à quibus transfertur, c. admonet, extr. de renunciat. c. eo libentiùs, extr. de ser. non ordinand. c. fin. extr. de cler. perer. c. ex frequentib. extr. de institut.

*Quod Obiectum Translationis?*

Obiectū translationis est, persona, quæ transfertur, sc. Cardinalis, Archiepiscopus, Abbas, Prepositus: & quilibet beneficiatus, qui postulari potest, c. dilectus, de præben. c. dudum, de elect.

*Quæ Forma?*

Forma est, vt ab Ecclesia, cui transferēdus adstrictus erat, per absolutionem liberetur facultas transeundi, per dimissorias literas concedatur, & pallium ad nomen & vsum eiusdem Ecclesiæ, si translati dignitas hoc requirat, trāsmittatur, c. bonæ memoriæ, 2. §. fin. extr. de postul. c. gratum, in fin. & c. in causis, extr. de elect. c. 1. 21. quæst. 2.

*Quæ causa Impulsiva?*

Est necessitas & vtilitas, quibus cessantibus, translationis actus non facile celebratur.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis est, vt Ecclesiæ necessitati personis dignis rectè succurratur.

*Qui Effectus?*

Effectus primus est: per translationem spirituale cōiugium, quod inter Episcopū & Deum est, dissoluitur, transferēdusq; omnimodò à prima Ecclesia liberatur, & eximitur, c. inter corporalia, extr. eod. c. si quis, 21. q. 2. c. bonę memorię, §. fin. extr. de postulan.

Secundus: translatus eandē potestatem consequitur, perinde ac si concordibus eligentium suffragijs esset electus, & per Pontificem, vel alium Superiorem, præstito fidelitatis iuramento, confirmatus, d. c. inter corporalia, extr. eod.

Tertius: translatus Ecclesiam, à qua discedit, repetere non potest: nec quid cum ea post translationem commune habet, 7. quæst. 1. c. eos, de renun. c. quod in dubijs, 21. quæst. 2. c. si quis iam translatus.

*Quæ Cognata?*

Cognatā, quoad discessionē ab Ecclesia, sunt, depositio & celsio, renunciatio, resignatio: Sed quoad adeptionem alterius, electio & postulatio. Conuenit enim translatio cum electione, & postulatione: quòd sicut vnanimi Capituli, vel maioris partis, consensu clericus ad Episcopatum, vel aliam præfecturā, per electionem, euehitur,

hitur,

hitur, ita translatus per Papam (qui in hoc Cap<sup>o</sup> tuli suffragia, necessitate, vel vtilitate ita suadente, sedis Apostolicę authoritate supplet,) per translationem, dignitatem, vel Ecclesiam aliam consequitur. Conuenit cum depositione & cessione, renunciatione, vel resignatione: quod pari ratione, sicuti ipsis, coniugium spirituale, per translationem, separetur, c. inter, c. licet, extr. eod.

*Quę Adiacentia?*

Adiacentia translationis sunt, postulatio, authoritas Superioris, dimissoria litera, honos, onus, necessitas, vtilitas, examinatio, presentatio, absolutio liberatio, c. 1. & c. 2. 21. quest. 2. d. c. inter, §. sicut autem, extr. eod.

*Quę Pugnancia?*

Pugnancia sunt, temeraria transitio, depositio ob crimen facta, concupiscentia alterius dignitatis, beneficij, vel officij, per ambitionem & auaritiam, pernicies Reipublicę & religionis, c. quanto, extr. eod. c. quoniã, & c. si quis, 21. q. 2.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Inter spiritualia & corporalia hæc differentia est, quod corporalia facilius destruantur, quàm construantur: spiritualia verò facilius construantur, quàm destruantur, c. inter corporalia, extr. eod.*

*Sicuti carnale coniugium Deus solo suo iudicio dissoluendum reseruauit, ita etiã spirituale, d. c. inter corporalia, c. quanto, eod.*

*Parium est eadem iuris dispositio, & iudicium, c. inter, c. sicut ergo, extr. eod.*

E §

Non

Nonnunquam intelligitur prohibitum, quod nō inuenitur concessum, d. c. inter corp. §. vnde si, extr. eod.

Non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, c. inter, §. cum quis, eod.

Gradatim honores sunt deferendi, c. legimus, 93. dist.

Translationes Episcoporum, & Sediū mutationes ad summum Apostolica sedis Pontificem de iure pertinet: nec super his quicquam, prater eius assensum, debet immutari, c. 1. extr. eod.

## DE AVTHORITATE ET vsu Pallij.

### Titulus VIII.

#### Continuatio.

**L**icet Prelatus inferior electus postulatus, vel translatus, post confirmationem & cōsecrationem, plenius officium sibi demandatum exercere possit: sunt tamen Patriarchæ, Archiepiscopi, & quidam Episcopi, qui plenissimam officij & dignitatis administrationem (nisi impetrato Pallio à Superiore) hoc ipso, quod electi, postulati, vel translati sunt, consecuti minimè dicuntur.

#### Quid est Pallium?

Pallium est, insigne ornamentum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitariū, & quandoq; etiam Episcoporum, plenitudinē  
Pon-

Pontificalis officij, cum translatione dignitatis designans, 25. quæst. 3. c. in Galliam, c. nisi specialis, & c. cum sis, eod. Abb. in rub. eod. tit.

*Qui tradunt Pallium?*

Pontifex in quatuor principes Patriarchas, videlicet, Constantinopolitanum, Antiochenū, Alexandrinum, & Hierosolymitanum, solus conferendi potestatem habet. In cæteros verò inferiores Episcopos, ipsi quatuor principes Patriarchæ conferre possunt, c. antiqua de priuileg. Ex quibus intelligitur, qui Pallium impetrant, & quibus tradi solitum sit. Impetrant Pallium quatuor Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitanani, & quandoq; Episcopi, Abb. in rub. eod. tit. c. duo simul, extr. de off. ordi. 21. quæst. 2. c. 1. 2. & 3. Et quædam Ecclesiæ ex priuilegio personali, c. cum in iuuentute, extr. de præsump.

*Quæ Forma tradendi Pallium?*

Forma, modusq; tradēdi Pallium, est, vt post præstitum Sedi Apostolicæ sacramentum Pontifex, vel, quatuor Patriarchæ, in plenitudinem pōtificialis dignitatis instanter petenti tradant, vt eo, infra Ecclesiam, vel prouinciam suā, dieb. qui exprimuntur in priuilegijs Ecclesiæ suæ cōcessis, vt tatur, vt habetur ca. 1. extr. eo. c. ad honorem, extr. eod. c. significasti, extr. de elect. c. optatum, c. ex tuarum, extr. de autho. Pallij.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis traditionis Pallij est, vt plena



dignitatis administratio, quæ sunt: Cõsiliu[m] vocare, Chrisma facere, basilicas dedicare, clericos ordinare, Episcopos consecrare, & similia, trãsseratur, c. ex tuarum, extr. eod.

*Qui Effectus?*

Effectus primus est: In Patriarchis plenissima, in Archiepiscopis plenior, & in Episcopis plena pastoralis officij exercendi permisis, infra prouinciam suam diebus potestas, c. antiqua, extr. de priuileg. c. nisi, & c. honorem, extr. eod. & exempla habentur, d. c. ex tuarum, extr. eod.

Secundus effectus est: Vsus nominis Patriarchalis, Archiepiscopalis, & Episcopalis, c. cum super, c. ad hæc, & c. ex tuarum, c. nisi specialis, extr. eod.

*Quæ Cognata?*

Cognata traditionis Pallij sunt, consecratio & confirmatio: quia, sicuti traditio Pallij superioribus, ea, quæ sunt suæ dignitatis, ita illa inferioribus Episcopis, ea, quæ sunt ordinis & iurisdictionis exercendi, tribuit potestatem, c. cum sis, extr. de elect.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, præstatio obedientiæ, & fidelitatis iuramentum, instans petitio, præfixio temporis vtendi Pallij, literæ traditionis Pallij, extrauag. iniunctæ, eod.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, manifesta impietas, peruersitas, mors impetrantis, & obiectio criminis, quod

quod probationibus promptis ostendi possit. Quoniam traditionem Pallij obiectio criminis non remoratur, nisi obijciens præmissio iuramento, de obiectis promptam fidem faciat, extrauag. malitijs hominum, eod. Prompta autem fides hoc in casu fieri dicitur, si intra bimestris temporis spacium, à die collationis numerandum, quod opponit legitimè probauerit, d. extrauag. malitijs, §. promptam, de autho. Pallij. Sanxit etiam Bonifacius VIII. quòd, qui apud sedem Apostolicam Pallium recipiunt, absq; literis traditionis Pallij non discedant, aliàs prouentibus, potestateq; administrandi ea, quæ Pallij concessio tribuit, priuantur, extrauag. iniunctæ, §. illi etiam, de elect. Morte etiam eius, qui Pallium impetrauit, potestas tributa per Pallium, quod ultra personam non prodest, extinguitur, c. 2. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Cum augmento honoris Pallij, crescere debet cura sollicitudinis pastoralis, ut ornatui vestium, actionum conueniant ornamenta, c. diu, §. priuilegia, & c. sequenti.*

*Augeri debet utilitas, per dignitatem, 24. q. 1. c. qui, contra.*

*Pallium dandum est, cum concessione noui priuilegij, & renouatione antiqui, d. c. diu, §. priuilegia.*

*Pallium non est de substantia collationis ordinum de natura sui, sed tantum ratione priuilegij, quod extra prouinciam commissam non extenditur, i. ex tuarum, ext. eod. & ibi Abb.*

Archiepiscopus alteri Archiepiscopo Pallium suum accommodare non potest, c. ad hac, eod.

Archiepiscopus extra suam provinciam, Pallio uti non potest, et si hoc habeat consuetudo, d. c. ex tuarum, eod.

## DE RENUNTIATIONE.

### Titulus IX.

#### Continuatio.

**C**ontingit, Prælatum iuri, ex postulatione, electione, vel translatione, sibi competenti renuntiare. qui renuntiandi actus ab Ecclesia, in qua Prælatus præfecturam, vel dignitatem obtinuit, exemplo translationis, discessionem inducit.

#### *Quid est Renuntiatio?*

Renuntiatio est abdicatio dignitatis, personatus, prælaturæ, beneficij collati, vel iuris sibi competentis, ex causa Capitulo, vel Superiori permittenti facta, c. cum inter, c. ad supplicationem, c. admonet, extr. de renunt.

#### *Quotuplex Renuntiatio?*

Est Renuntiatio duplex, spontanea & coacta. Spontanea dicitur, quando renuntians libera voluntate, legitimam ob causam, & ad cessionem sufficientem in manus Superioris resignat, c. super hoc, extr. eod.

#### *Quid Coacta?*

Coacta est, quæ non spontè, sed vi, metu, oppres-

oppressione, interuētu pecuniæ, vel illicita promissione (quæ ferè semper à malo est) & nulla iusta ex causa, extorquetur, d. c. super hoc, extr. eod. Clem. si te præbendam, eod.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens spontanæ renuntiationis est, volūtas personæ, ad quam ius, cui renuntiat, spectat, c. ad Apostolicam, & c. statuimus, extr. de regula, c. vlt. extr. de crimine falsi.

*Quæ Materia?*

Prælatuæ beneficium, ius proprium quod in præsentem competit, & in fauorem renuntiantis introductum est, non, si fuerit alienū, non cōpetēs, & in odium aliorū, vel totius Collegij, vel vniuersitatis inductū fauore. Vnde clericus priuilegio, quod habetur in c. si quis suadente, 17. q. 4. non renuntiat. Et regulare est, quod iuri alieno, vel non competenti renuntiarum non possit, licet ius competiturum pacto remittatur, vt tradit Alc. in l. 1. C. de pactis.

*Quæ Forma?*

Forma renuntiationis spontanæ est, vt renuntians permissu Superioris iustæ causæ impellentis recitatione in manus eius, ius sibi competens, liberè & spontè per verbū resignationis simpliciter, vel adhibito iuramento resignet. Vt si Episcopus sit: in manus Pape, si Prælati: in manus Episcopi, si clericus: in manus Episcopi, Capituli, vel Prælati, huiusmodi beneficium, cui renuntiat, conferendi, confirmandi, & instituendi potestatem habentis, c. quod in dubijs, extr. eod. 18. quæst. 2. c. abbas. 7. quæst. 1. c. non oportet, 33. quæst. 5. c. mulier.

Quæ

*Quæ causæ iustæ Renunciandi?*

Iustæ causæ, ob quas à Superiore recipienda est renunciatio, sunt sex: scilicet, conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, & personæ irregularitas. Comprehendunturq; his versibus:

*Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,*

*Quem mala plebs odit, dans scādala, cedere possit.*  
c. post translationē, & c. nisi iam pridē, extr. eod.

*Cuius criminis conscientia admittit Renunciationem?*

Primò igitur conscientia criminis præstat cediendi licentiam, non cuiuslibet, sed duntaxat illius, propter quod, ipsius officij executio, post peractam pœnitentiam, impeditur: vt est simonia, 1. q. 1. c. erga simoniacos. Notatur de hoc in c. penul. & c. apostata, extr. de apost. c. fin. & c. schisma, de schif. c. 1. vbi notatur, 7. quæst. 1. c. factus, 16. quæst. 7. c. si quis deinceps.

2. Si in electione non sit seruata Forma, in c. quia oportet, extr. de elect.

3. Quodlibet crimen, quod ipso iure irrogat infamiam, 3. quæst. 7. §. porrò, quia talis infamia per pœnitentiam aboleri non potest, 2. quæst. 3. §. hinc colligitur.

*Quæ debilitas corporis?*

Secundò. Debilitas corporis, quæ ex infirmitate, vel senectute procedit. Nec tamen omnis, sed illa solummodo, per quam impotens redditur,

tur,

tur, ad exequendum officium pastorale, c. nisi  
cùm pridem, §. alia verò. extr. eod. 7. quæst. 1. c.  
quia frater.

*Qualis defectus scientiæ?*

Tertiò. Ob defectum scientiæ quis petere po-  
test celsionem, si non didicerit ea, quæ ad offi-  
cium suum pertinent, 38. dist. c. 1. & seq. Licet e-  
nim defectus non sit peccatū, sed pœna, 15. quæst.  
1. §. 1. hîc tamen negligentia discendi pro pecca-  
to habenda est, d. dist. 38.

*Quæ malitia plebis?*

Quartò. Malitia plebis ad renuntiandum im-  
pellit. Quando plebs aded duræ ceruicis exi-  
stit, vt proficere nequeat apud ipsam, sed pro-  
pter eius pertinaciam quò magis satagit, eò ma-  
gis iusto iudicio deficere permittatur, c. nisi cùm  
pridem, §. propter malitiam, eod.

*Malitia plebis in quibus con-  
sistit?*

Malitia plebis in persecutione extrinseca, &  
persecutione intrinseca, obseruata quadam di-  
stinctione, versatur.

*Quæ extrinseca persecutio?*

Extrinseca intelligitur, quæ consistit in ma-  
nifestis, & præcis inimicis Ecclesiæ, qui nos per-  
sequuntur. Et tunc aut solus Prælatus queritur,  
aut totus clerus, aut tota Ecclesia. Si solus Præla-  
tus, aut eo recedente tuta est Ecclesiæ salus: & fu-  
giat, si non: ponat animam pro ouibus, d. c. ni  
cùm

cum pridem, §. non tamen. Si totus clerus queritur, si aliàs potest cõsuli Ecclesiæ, totus clerus fugiat cum Prælato: si non potest cõsuli, remanent cum Prælato, vel omnes, vel quidam ex his. Si est altercatio inter eos, de remansuris, res forte dirimatur, 26. quæst. 2. c. fors. Si autem tota Ecclesia queritur, & fides impugnatur, tunc non fugiat, sed omnes ex aduersa pro domo Israel cõsurgant, 43. dist. c. sit rector.

*Quæ intrinseca persecutio?*

Intrinseca persecutio dicitur, quæ consistit in subditis præfractæ naturæ, qui corrigi nolunt, & se sanæ doctrinæ opponunt. Et tunc aut subditi omnes sunt mali, aut etiam quidam boni: si boni sunt admixti malis, eos non deferret, 23. quæst. 4. c. tu bonus: si mali omnes sunt, aut spes est de correctione; & non sunt deferendi; si nulla spes, sunt deferendi, vt in fin. c. vlt. imò, 33. quæst. 7. c. igitur.

*Quod scandalum?*

Quintò. Scandalum causam præbet renuntiationi, per cuius euitationem non committitur peccatum: alioquin vtilius scandalum nasci permittitur, quàm vt veritas bonæ vitæ, vel iustitiæ deseratur, c. qui scandalizauerit, de reg. iur.

*Quæ irregularitas?*

Sextò. Personæ irregularitas omnis, quæ ordinationi clericali, absque dispensatione præstat impedimentum: Vt sunt bigamiæ, vitium  
nata-

matalium, & huiusmodi generis, c. cū in cūctis,  
extr. de elect. c. non confidat, 50. dist.

*Qui effectus spontaneæ Renun-  
tiationis?*

Effectus spontanæ renuntiationis est, pri-  
uatio iuris, vel beneficij, cui renuntiatum est, in-  
tantū, vt qui semel legitimè beneficio renun-  
tiauit, illud repetere non possit, c. ex transmissa,  
& c. in præsentia, extr. eod. Et licet renuntiatio  
ex parte eius personæ cui renuntiat, nulla sit,  
tamen beneficio, cui nulliter renuntiauit, priua-  
tur, c. quod in dubijs, extr. eod. Nota tamen, cū  
renuntiatio sit stricti iuris, eam nō ad aliud, sed  
ad ipsum beneficium, cui renuntiat, restringē-  
dam esse, nisi ex causa criminis cessio facta esset,  
c. ad translationem, extr. eod.

*Quæ cognatæ spontaneæ Renun-  
tiationis?*

Cognatæ sunt, submissio gratiæ, translatio,  
dimissio, abiuratio, c. veniens, & c. super hoc,  
extr. eod.

*Quæ Adiacentiæ?*

Adiacentiæ sunt, prouisio, absolutio, &c.

*Quæ Pugnantiæ?*

Pugnantiæ sunt, coacta renuntiatio, subtra-  
ctio iuris, deiectio, & denegata licentia Papæ, va-  
na & temeraria, nullaq; ex causa resignatio facta.

Quæ



*Quæ causa efficiens & procatartica  
coactæ Renuntiationis?*

Causa efficiens & procatartica coactæ renuntiationis sunt: vis, dolus, metus, terror, potetia, illicita promissio, d. c. super hoc, eod.

*Quæ Forma?*

Forma est, vt renuntians vi oppressus, vel dolo circumuentus, non requisito Superiore, absq; iustæ causæ allegatione, statim Episcopatum, præfecturam, personatum, beneficiumq;e, vel, quoduis aliud sibi competens ius, in manus potentioris, non habentis facultatem acceptandicessionem, resignet, d. c. super hoc.

*Qui Effectus?*

Effectus est: quòd, nulla probatione spontaneæ renuntiationis Rei admissa, sed tantum probata spoliatione, siue renuntiatio præcedat spoliationem, siue sequatur, non impediatur restitutio, d. c. super hoc. Si tamen non iuri beneficii tantum, sed etiam petitioni restitutionis, per pactum, renuntiatum fuerit, locus non datur restitutioni, d. c. super hoc, extr. eod.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, spoliatio, simonia, quoad illicitam promissionem, &c.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia, vis, metus, dolus, culpa, potetia, illicita promissio, turpitude, malitia.

*Quæ*

*Quæ Pugnantiæ?*

Pugnantiæ sunt, spontanea celsio, religio, fidelitas, turpitudine, & impietas renūciantis, spectata authoritas & dignitas eius, in cuius manus renuntiatur.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Illegitimi, si parentum vitia non sequuntur, ad dignitates, cum dispensatione, admittuntur. Illo tamen discretionis adhibito moderamine, ut inter nothos, manzeres, naturales, & spurios, distinguatur, c. nisi §. unde patet, extr. eod.

Negantis factum per rerum naturā nulla est probatio, c. super hoc, eod.

Dolus suus nemini patrocinari debet, Clem. si te præbendam, eod.

Nō extenditur iuramentum ad ea, de quibus in iuramento cogitatum non fuit, c. cum inter, eod.

Actoris probationes admittendæ sunt super implicita assertionem, d. c. super hoc.

Si intentetur possessoriū Reo nulla probationes sunt admittendæ: secus si petitorium. Ratio est: Quia in possessorio ei fit modicū præiudicium, cum statim possit de proprietate agere, petitorio, cum econtrā agenti rei iudicata obstet exceptio, d. c. super hoc.

Post sententiam non sunt proponendæ peremptoriæ exceptiones, d. c. super hoc.

Duobus testibus de affirmatione deponentibus plus creditur, quàm mille de negatione testificantibus, c. 1. extr. quod metus causa.

F

Quæ

*Qui metu vendidit, recipiendo precium, nō videtur renunciare actioni.*

*Licet falsa causa subijciatur in sententia, tamen sententia tenet, quia non est contra ius scriptum, sed ius litigatoris, c. in presentia, eod.*

*Maius malum minori est consideratione preferendum, 7. q. 1. omnes, 2. q. 3. c. si quis.*

*Publica utilitas pfertur priuata, 7. q. 1. c. mutatiōes.*

*Nonnūquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat, d. c. nisi, eod.*

*Iudex non semper ad vnā speciem probationis applicare mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius presentia proponuntur formare animi sui motum debet. Et tanta sit authoritas iudicialis, vt semper pro ipso presumatur, donec contra ipsum aliquid legitime comprobetur, c. in presentia, eod.*

*Quantocunq; virtutum flore refulgeat quis, & in se charitatem non habeat, nihil videtur habere. Nulla siquidem maior charitas poterit esse, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, c. nisi cum pridem, §. quippe, eod.*

## DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

### Titulus X.

#### Continuatio.

**P**Rælati Ecclesiarum non sunt adeo diligentes, vt commissi muneris functio, aliquam repræ

repræhensionem quandoque non possit incur-  
rere. Ne igitur, si quam negligentiã committi  
contingat, Ecclesia damnum patiatur, iustissi-  
mè Superiores, defectus, & Inferiorum negle-  
ctus, supplere permittuntur, & iubentur.

*Quid suppletio Negligentiæ?*

Suppletio negligentiæ Prælatorum est, susce-  
pta administratio muneris, ab inferiore, per ma-  
litiã, vel supinã negligentiam omissi, c. licet  
magister, extr. eod.

*Quotupliciter Negligentiã suppletur? Et quæ  
causa efficiens Suppletionis?*

Suppletur negligentiã bifariã: vel per Su-  
periores, vel per Inferiores. Per Inferiores,  
quando Episcopus ter requisitus in conferen-  
dis benedictionibus negligens sit, potest tunc  
Abbas, donec Episcopus suam duritiã reco-  
gnoscat, monachos suos benedicere, cap. statui-  
mus, extr. eod. 63. distinct. c. quoniam videmus,  
cuius tenor ponitur in c. cum contingat, extr.  
de ætate, & quali.

Per Superiores suppletur negligentiã du-  
pliciter: vel per susceptionem muneris neglecti,  
vel permissionem coadiutoris, vel visitatoris.  
Cum enim prælati, vel clerici in conferendo, ad-  
ministrando, constituendo, præsentando, negli-  
gentes sunt, vel ultra legitimum tempus, lon-  
gas moras trahunt, licet tunc diocesano, vel  
Episcopo ordinario regulariter vicem eorum  
subire, c. si episcopus, in 6. Clem. quia regulare;

F 2

c. sicut

c. sicut nobis, c. licet magister, c. literas, & c. dilecto, extr. eod. Quod si autem Superior vice Negligētis fungi nolit, potest ipse vel Summus Pontifex, ad defectum supplendum, & emendandum, Coadiutorem, Visitatorem, vel Administratorem deputare, c. grandi, c. Ecclesiæ, in 6. eod. Distingue tamē, si Capitulum in spiritualibus, vel temporalibus negligenter, vel perperam administrat, Archiepiscopus, ob negligentiam, vel malitiam Capituli, eo vocato, causæque super hoc, cognitione præmissa, Visitatorem, vel Administratorem deputat. Si nulla intercedat vel malitia, vel negligentia Capituli, tunc solus Papa Administratorem, vel Visitatorem constituit, c. Ecclesiæ, in 6. Visitatoris autem munus est, spiritualia & temporalia administrare: Sed beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non potest, d. c. Ecclesiæ, §. huiusmodi, in 6. Ex quibus patet, causam, efficientem suppletionis esse, solertiam superioris, & quandoque inferioris Prælati, & nisi Visitatoris adiuuamen.

*Quod Obiectum?*

Obiectum suppletionis est, cuiuslibet generis commissa negligentia & defectus, in quolibet officio, ratione ordinis, vel dignitatis, iniuncto, scilicet in competentibus prouisionibus, beneficijs & benedictionibus conferendis, alijsq; sacris administrandis, & iurisdictionalibus, d. c. statuimus, eod.

*Quæ*

*Quæ causa Impulsiva?*

Causa impulsiva supplendæ negligentia est, periculum instans, ob malitiam & negligentiam Prælati, iuristæ Ecclesiastici conseruandi necessitas & pietas, religioquæ, c. grandi, in 6. §. per hoc autem, c. Ecclesiæ, in 6. eod.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis est, ne status Ecclesiæ benè institutus, per insolentiam, vel malitiam alicuius, subuertatur, sed cura & solitudine Superiorum omnimodò conseruetur, c. sicut nobis, §. nolentes, eod.

*Qui Effectus?*

Effectus est, quòd, si per Superiorem negligentia inferioris suppleta sit, inferioris ius, quoad hoc, cesset, d. c. licet, & c. literas, extr. eod. Et pro diuersitate & qualitate eorum, quæ negliguntur: quandoque excommunicatur, quandoque deponitur, & quandoque omninò ab officio remouetur, c. quicquid, i. quæst. i. c. dictum, dist. 81. c. 1. extr. de officio custodis. Secundò, quòd Visitator, ob negligentiam Capituli, constitutus, consequatur facultatem administrandi spiritualia & temporalia: conferre autem beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, non possit, d. c. Ecclesiæ, §. huiusmodi, in 6. eod.

86 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE TEMPORIBVS ORDINA-  
tionū, & qualitate Ordinandorum.

*Titulus XI.*

Continuatio.

**Q**uamuis omnes Christiani, per baptismum in ministerium (in quo se si benè quis gesserit, condignū prēmium, per diuinam gratiam, reportet) à Deo recepti sint, ita quòd meritorè sacerdotes (vt spiritales hostias, id est, semet ipsos Deo offerant, nomen eius laudent, & inuocent) dici possint: Non tamè omnes Ecclesiæ ministri; sed iam inde ab Ecclesiæ initio selecti sunt quidam, quibus munium Ecclesiasticorū administratio commissa est.

*Quid Ordinatio?*

Ordinatio est, ritus consecrandi personas Ecclesiasticas: quo confertur gratia & potestas ad obeunda decenter Ecclesiastica munia: ab Ecclesia institutus & obseruatus, c. sanè. extr. eod. & c. fin. extr. de sacrā. non iterand.

*Quotuplex Ordinatio?*

Ordinatio generatim continet maiorē & minorem ordinationem. Minor est, quæ minores ordines continet: maior, quæ maiores.

*Quot sunt minores Ordines?*

Minorum ordinum sunt quatuor, scilicet, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarū, & Acolytorum. Est & psalmistæ infimus ordo, qui tamen inter minores non recensetur, licet ordo sit, c. cū cōtingat, vbi glo. & quod, extr. de ætate & quali.

*Quot*

*Quot sunt Maiores?*

Maiorum Ordinum pariter sunt quatuor, Subdiaconorum, Diaconorū, Presbyterorum, & Episcoporum.

*Quotuplex ordo Episcoporum?*

Ordo Episcoporum quatripartitus est. Sunt enim Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitanæ, & Episcopi, c. clericos, §. episcoporum, dist. 21. Et hi nomine & appellatione maiorum Prælatorum, magna potestate & reuerenda dignitatis præminentia excellentium veniunt. Alij inferiores vel minorum Prælatorum, vel clericorū nomine censentur, qui sub Maioribus sunt, & in Ecclesia ministerio deseruiunt, atq; in curanda dominica messe, tanquam operarij, existunt.

*Quis Pontifex, & vnde dicatur?*

Pontifex omnium Prælatorum, maiorum & minorum, sacerdotumq; est, vel dicitur esse, quasi via sequentium, & summus Sacerdos, & Pontifex Maximus, d. c. clericos. Olim autē Pontifices reges erant: siquidem maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex esset Sacerdos & Pontifex. Vnde & Pontifices Romani Imperatores appellabantur, d. c. clericos.

*Quis Patriarcha, & vnde dicatur?*

Patriarcha dicitur ἀπὸ τῶ ἀρχὸς τῶν πατρῶν, id est, principe Patrum. Quia is summus Patrum dicitur: cū & primum post Apostolicum teneat locum, d. c. clericos.



*Quis Archiepiscopus, & unde dicatur?*

Archiepiscopus dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀρχὸς καὶ ἐπισκοπῆς, id est, principum superintendentium. Quia Archiepiscopus summus est Episcoporum, & tenet vicem Apostolicam, præfidetq; tam Metropolitanis, quàm alijs Episcopis, d. c. clericos.

*Qui Metropolitanis, & unde dicantur?*

Metropolitanis dicuntur à mensura, vel magnitudine ciuitatum. Sunt enim, qui singulis prouincijs præminent, quorumq; authoritati, & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil agere licet reliquis Episcopis, d. c. clericos.

*Qui Episcopi, & unde dicantur?*

Episcopi Græcè dicti, Latine speculatores dicuntur. Quòd ille, qui efficitur Episcopus, superintendat, curamq; gerat subditorum, quoniam speculator in Ecclesia idèò dictus, quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam, d. c. clericos.

*Quis Presbyter?*

Presbyter senior interpretatur, non modò pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem, d. c. clericos.

*Qui*

*Qui Diaconi?*

Diaconi, ministri Latinè dicuntur, quia sicuti in sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerij dispensatio habetur, d. c. clericos.

*Qui Subdiaconi?*

Subdiaconi dicuntur, quia subiacent præceptis & officijs Diaconorum, d. c. clericos.

*Qui Lectores?*

Lectores, à legendo, quòd sacra legant, dicti sunt, d. c. clericos.

*Qui Acolyti?*

Acolyti, Latinè ceroferarij, dicuntur, à deportandis cereis luminibus, d. c. clericos.

*Qui Exorcistæ?*

Exorcistæ adiurantes, siue increpantes, vocantur, qui super catechumenos inuocant ad expellendum malum spiritum, d. c. clericos.

*Qui Ostiarij?*

Ostiarij sunt ianitores, qui in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, d. c. clericos.

Sunt & alia nomina, quibus olim, diuinis ministerijs dediti, appellabatur: vt sunt, Flamines, Vates, Antistes.

*Qui Vates?*

Vates à vi mentis dicitur, cuius significatio multiplex est: nam modò sacerdotem, modò prophetam significat, modò poëtam, d. c. clericos.

*Qui Flamines?*

Flamines sunt gentilium sacerdotes à filo dicti, quasi filamines. Hi enim in capite habebant

pileum, in quo erat brevis virga, desuper habebat lanam aliquid, quod cum propter æstum ferre non possent, filum tantum in capite religare cœperunt: nam nudis capitibus incedere, nefas illis erat, d. c. clericos.

*Qui Antistes?*

Antistes sacerdos dictus est ab eo, quia antestat. Primus est enim in Ecclesiæ ordine, ut supra se nullum habeat, d. c. clericos.

*Quis Sacerdos, & unde dicitur?*

Sacerdos, nomen compositum habet à Græco & Latino: quasi sacrum dans; sicuti rex à regendo, ita sacerdos à sacrificando dicitur. consecrat enim & sacrificat. Et hæc duo postrema, adhuc hodiè usurpantur, d. c. clericos.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens Ordinationis est, persona, qui ius ordinandi habet. Ordinatur autem Episcopus ad sacros & maiores ordines. Verum ad minores Prælati, etiam si Episcopus non sit, de ordine alio Episcopo qui rē. Epif. §. quid iuris, c. cum contingat, extr. de æta. & qual. c. veniens, extr. de præscript.

*Quod Obiectum? & qui ad Ordines non admittuntur?*

Obiectum Ordinationis est, ipsa persona, ad ordines recipienda, dummodò talis sit, quæ promovetur possit. Promoveri autem prohibentur quidam, ob ætatem, vitium animi, vitium corporis

poris, & vitium originis, vinculum reale, vinculum personale, & vinculum ciuile.

*Qui ob ætatem prohibentur?*

Ob ætatem infans ad minores ordines: minor 18. annorum ad Subdiaconatum: minor 20. ad Diaconatum: & minor 25. annorum ad Sacerdotium, non admittuntur. Cùm absurdum sit, eos ad Ecclesiasticos ordines recipi, qui, quod agitur, nō intelligunt, vel fari nō possunt, Clem. c. fin. de ætat. & qual. Si tamen minor ordinatus fuerit, ab ipsius executione, vsq; ad legitimam ætatem, suspenditur, c. vel non est compos, extr. eod.

*Quæ animi vitia impediunt?*

Secundò: ob animi vitia clericus ordinari prohibetur. vt si sit homicida, adulter, periurus alijsq; criminibus, quæ peccatum mortale cum perpetua infamia inducunt, addictus. Tamen circa crimina, secundum Innocentium, sunt cōsideranda quatuor: 1. quantitas criminis, scilicet, sit modicum, mediocre, vel enorme, vel tale, quod etiam, post peractam pœnitentiam, impediatur executionem officij. 2. qualitas criminis: an sit occultum vel manifestum. 3. modus publicationis: an per euidenciam operis, vel per sententiam, vel confessionem spontaneam. 4. satisfactio vera, & pœnitentia non simulata. Et si quidem enorme & manifestum est, deponitur, nec promouetur, nisi ex dispensatiōe ordinarij, Episcopi, 50. dist. c. minor. Si enorme

enorme

enorme & occultum parte pœnitentiæ peracta, poterit ministrare in susceptis ordinibus: & monendus est, vt abstineat ab vltiori susceptione Ordinum. Tamen si voluerit, non est prohibendus, c. ex tenore, extr. eod. Nec hîc requiritur dispensatio Ordinarij, sed sufficit sacerdotis absolutio, arg. 6. quæst. 1. c. illi qui. Et hoc verum, nisi fit tale crimen, quod impediatur executionem officij, post pœnitentiam, c. nisi cum pridem, §. 1. extr. de renunt. Si verò est modicum, siue mediocre & occultum fortè, non est monendus vt abstineat à susceptione Ordinum. Si verò mediocre & manifestum, si conuictus est in iudicio, vel timore probationis confessus, deponitur, 15. quæst. 8. c. si quis, & c. 1. dist. 80. Si verò operis publicatione, vel spontanea cōfessione, acta pœnitentia, cum eo poterit misericorditer agi, quandoque plùs, quandoque minùs, inspecta probitate personæ, & alijs circumstantijs, 15. quæst. 8. c. si quis presbyter, 50. dist. c. presbyterum.

*Quod vitium corporis impedit?*

Tertiò: Vitium corporis præstat impedimentum Ordinationi. Vt si quis volens, vel virilia, vel digitum, vel pedem sibi amputauerit, vel oculum eruerit, c. pœnitentes, c. si quis absciderit, c. qui partem, c. lator, c. si Euangelica, dist. 55.

*Quomodo ob vitium originis prohibetur?*

Quartò: Ob vitiū originis prohibentur quidam

dam, vt filij presbyterorum, & alij, ex illicito & nefario coitu, procreati: qui ex incontinecia parentum, quasi maculati & dehonestati, infames, & turpes personæ censentur, quibus dignitas & excellentia Ordinis clericalis non debet committi, c. inter dilectos, extr. de exceſ. præla. c. infamibus, de reg. iur. ob quam dignitatem lex diuina prohibuit, spurios, & huiusmodi turpes personas, vsque in decimam generationem Ecclesiam Dei intrare, c. per venerabilem, extr. qui filij sint leg. Distingue tamē, vt infra, tit. de filijs presbyterorum.

*Quod vinculum personale?*

Quintò: Vinculum personale Ordinationem impedit, quo persona personæ, ob dominicam potestatem, cui subiecta est, ad quælibet seruitia præstanda obstringitur, vt est, seruus in potestate domini constitutus, qui, donec per tacitam, vel expressam manumissionem, beneficentia domini libertatem consequatur, ab Ordinibus arceatur, toto tit. extr. de ser. non ord. & per tot. dist. 54.

*Quod vinculum reale impedit?*

Sextò: Ob vinculum reale: vt sunt, procuratores, actores, executores, & pupillorum tutores, vel curatores, qui suscepta gestiōe alieni negotij sese obstrinxerunt, ordinari non possunt, nisi administratione finita, &, rationibus redditis, à nexu obligationis liberati sint, c. 1. extr. de oblig. ad ratioci.

*Qua-*

*Quale vinculum civile præstat impedimen-  
tum Ordinationi?*

Septimò, modus impediendi ordinationem est, vinculum civile, quo quis civilibus oneribus se subiecit, foriq; secularis coertitioni perpetuò se alligavit, vt bigamus, qui cum duabus vxoribus legitimis contraxit, à foro seculari ad Ecclesiasticos ordines, quibus indignū se fecit, migrare nō potest, c. vnico, extr. de Bigamis, & c. de Digamis, extr. eod. dist. 33 per totum.

*Quæ causa Impulsiva?*

Causa impulsiva est, honor Deo & Ecclesiæ debitus, dignitas, excellentia & sanctitas, diuini ministerij. Ne cui libet, discretionem personarum non habita, illotis, vt dicitur, manibus Ecclesiastica munia & sacra tractare liceat. Cū, vt testatur scriptura, neminem honorem exercendorum mysteriorum Ecclesiæ, nisi à Deo vocatus sit, sibi assumere posse.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis est, vt Ecclesiastica munia decenti quadam serie, ad honorem Dei exprimendum, diuinumq; cultum propagandum, fideliter expediantur, &c. Gratiaq; spiritualis ad expedienda ea conferatur.

*Qui Effectus?*

Effectus est, potestas administrandi munia Ecclesiastica, cui libet ordini in suo genere destinata.

*Quæ*

*Quæ Forma?*

Forma Ordinationis est, vel superior Prælatus, vel Episcopus, ordinando, qui suæ diocœsi subiectus est, præuia examinatione, per manûs impositionem, aliorumq; solennium adhibitionem, statuto canonibus tempore, Ordines gradatim conferat. In minoribus quidem, quilibet, die festo, in sacris quatuor tēporibus, vel sabbatho sancto ante Dominicâ passionis, c. dilectus, c. literas, extr. eod.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, omnes dignitates: vt sunt, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatia, Præpositura, Prioratus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & reliqua.

*Quæ Adiacentia Ordinis?*

Adiacentia sunt, omnia munia & officia Ecclesiastica, onus, honos, dignitas, & personatus, omnesq; virtutes, quibus persona Ecclesiastica commendatur. Differunt dignitas, personatus, & officium. Dignitas est, Ecclesiasticarum rerum cum iurisdictione administrandarum potestas. Personatus est, prærogatiua in Ecclesia omni carens iurisdictione. Officium est ius administrandarum rerum Ecclesiæ, sine iurisdictione, Abb. c. de multa, num. 22. de præben. Felin. in d. rub. Io. de selua, in tract. de benef.

*Quæ*



*Quæ Pugnantiæ!*

Pugnantiæ sunt, omina vitia animi, corporis, & originis, seruilis conditio, excommunicatio, suspensio, bigamia, neglectus formæ Ordinationi præscriptæ, hæresis, schisma, ambitio, simonia, & c.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Sicuti pro non factò habetur, quod fit, ab eo, qui potestatem faciendi non habet: ita pro non dato habetur, quod datur, ab eo, qui dandi potestatem non habet, c. quod autem, extr. de iure patronatûs.*

*Propter simplicitatem repellitur quis ab obtinendo, sed non reijcitur ab obtento, sed datur ei coadiutor, 39. dist. c. Petrus, 7. quest. 1. c. quia frater, c. cum in cunctis, extr. de elect.*

*Domus clericorum omnibus debent esse communes, 16. quest. c. quoniam.*

## DE SCRVTINIO IN ORDINE FACIENDO.

*Titulus XII.*

## Continuatio.

**Q**ui ad sacros Ordines cõtendunt, priusquã Ordinentur, examini per Archidiaconum faciendo, qui deinde eos probatos Episcopo ordinandos præsentet, subijciuntur.

*Quid*

*Quid Scrutinium?*

Scrutinium est, inquisitio scientiæ, morum, vitæ, fideiq; & institutionis eiq;e, qui Ordines petit, per Archidiaconum, vel Episcopū, facta, c. vnico, extr. eod. c. licet, extr. de off. leg. c. 1. dist. 24. per tot.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens, de iure communi, est Archidiaconus, argumento, 23. dist. c. psalmista. Item Episcopus, nam dicitur in c. quando, dist. 24. quod Episcopus sacerdotibus, & alijs prudentibus viris diuinæ legis peritis, atq; in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, ætatem, personam, institutionem, mores, doctrinam, & fidem, vitam, patriam, locumq;e, vbi educatus sit, diligenter inuestigare & examinare debeat, d. c. quando.

*Quod Obiectum?*

Obiectum scrutiniij sunt, vita, mores, institutio, doctrina, & alia, quæ circa ordinandi personam, educationemq;e, inquiruntur.

*Quæ Forma?*

Forma est, vt Archidiaconus, feria quarta proxima ante sabathum, quo ordinatio celebrari debet, de moribus, institutione, conuersatione, doctrina, & alijs similibus ordinandi, diligenter inquirat, quibus probatis, eum præsentet Ordinatori, cui interroganti: num dignus sit? si ipse (quantum humana fragilitas nosse finit) responderit, non peccat, licet postea contrarium probetur, d. c. vnico, extr. eod. Dum tamen contra

G

con

conscientiam non loquatur, aliàs contrà, 28. q. 1. §. 1. de præscript. c. quoniam, 24. distin. c. quando. Quæ autem forma inquirendi sit, si Episcopus fide & doctrina conspicuis quibusdam viris id muneris committat, habetur in c. quando episcopus, s. dist. 24.

*Qui Effectus & Finis?*

Effectus & finis scrutinij est, examinati coram Episcopo præsentatio; hoc casu quo Archidiaconus ad ordines petentem examinavit, & eum examine dignum probavit. Sin autem indignum inuenit, reiectio. At, si Episcopus iunctis sacerdotibus alijsquæ fide dignis & doctrina præditis viris examinationem fecerit, admissio ad ordinationem, vel reiectio, prout examini satisfecerit, d. c. quando, dist. 24. c. 1. de offic. Archidiaconi.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, alia scrutinia, quæ vel à confirmatore in electum, vel post confirmationem ex officio per inquisitionem contingunt, c. nihil est, extr. de elect. & electi potestate.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, impedimenti, ob quod promoueri non poterat, detectio, veritatis suppressio, mendacium, dolus, culpa, scrutatoris & simonia, c. si qui sine examinatione, 81. dist. c. si seruus, dist. 54. c. quando, distinct. 24. & c. si quis, dist. 24.

AXIO.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Fauores sunt ampliandi, odia autem restringenda, renouantes, 22. dist.*

*Qui asserit falsum, dum opinatur verum, si non contra conscientiam loquatur, non peccat, c. vnico, extra, de scrut.*

*Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit, vel examine Episcoporum, vel populari testimonio, c. nullus, dist. 24.*

*Ipsi, quibus cura inquirendi committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscunque muneris cupiditate illecti a vero deuiant, vt indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent: aliàs vterque, & examinatus & examinatus & promotus ab altari Ecclesiasticaque dignitate remouentur, c. quando Episcopus, dist. 24.*

## DE ORDINATIS AB EPISCOPO, qui resignauit Episcopatu.

*Titulus XIII,**Continuatio:*

*Et quomodo intelligatur, quòd ab Episcopo, qui Episcopatu renunciauit ordinatus officij executionem non habeat?*

**E**ffectus renūciationis est, vt quicquid post eam fit, quod officio vel iuri, cui renunciatum est, cohæret, non subsistat. Ided sacros ordines ab Episcopo, qui Episcopatu renunciauit, suscipiens executionem officij non habebit.

Requiritur tamen, 1. Vt Episcopus nō loco tantū, sed simul loco & dignitati renunciauerit. 2. Vt non minores; qui etiam à non Episcopo conferri possunt; sed maiores & sacros ordines contulerit. 3. Quòd ordinatus sciuerit Episcopum renuciāsse, aliàs si ignorāffet, cū culpabilis non sit, ei per dispensationem succurritur. Idem obseruatur, si ab Episcopo excommunicato ordines, à sciente, vel ignorante suscipiantur, c. 1. & c. 2. extr. eod. c. gratia, 1. quæst. 1. & c. statui-mus decretum.

DE ÆTATE, QUALITATE,  
& ordine præficiendorum.

*Titulus XIII.*

Continuatio.

**I**Nter Ecclesiasticas personas, quidam simplici nomine clerici, qui in octo, vel nouem classes distincti sunt, dicuntur: quidam prælati, magna potestate & reuerenda dignitatis præminetia excellentes. & sub his alij Ecclesiasticorū munium functioni addicti, in quorum promotione certa ætas, vitæ & doctrinæ integritas, & ordo requiruntur, esse censentur.

*Quæ ætas requiratur, vt quis muneri alicui præfici possit?*

Primò: minor 30. annorū ad Episcopatus dignitatem non ascendit. In dignitatibus autem inferioribus, & beneficijs, curam animarum habentibus, ætas 25. annorum determinata est, in qua sufficit, si vltimus annus cœptus sit, c. cū in curis

in cunctis, §. inferiora, extr. de electio. quod si curâ animarum solutum sit beneficium, regiminis tamen alicuius onus sentiat, 14. annus sufficiat: sed nullo dato regiminis onere, vel titulo, septem annorum ætas, dum nullum cõsiliij maturitatem eiusmodi beneficiũ desideret, promouendum idoneum facit, Abb. c. super inordinata, col. fin. extr. de præbend. Abbas quidem, 25. anno, Abbatissa, vel Priorissa 30. promoueri possunt: sed Prior, qui vel Collegio præsit, vel curam habeat animarum per se illam exercens anno pariter 25. sin curam animarum per se non exercent anno 20. At si neque Collegium, neque animarũ curam talis Prior habiturus sit, anno 14. esse concedetur, Abb. c. si super ordinata. Tamen in dignitatibus, personatibus, alijsq; beneficijs, quæ curam animarũ non habent, non tantum à Papa, verum etiam ab Episcopo, circa ætatem dispensatur, c. vnico, permittimus, eod. in 6. c. cum nobis, §. fin. & c. innotuit, extr. de elect. c. 1. 2. 3. 4. ext. de translat. Episcop. c. quod translationem, extr. de offic. legat.

*Qualitas præficiendorum circa quæ consideretur?*

Secundò: cum ad dignitates non admittatur, vel præficiatur quis munijs Ecclesiasticis, nisi in ordinibus constitutus. Non debet, exemplo ordinandi, præficiendus vitio animi, corporis, vel vitio originis, vel natalium, laborare, & diffamatus esse, vel seruituti, coercitioni fori secularis, vel administrationi aliorum negotiorum obstrictus, sed omnibus virtutibus præditus, &

ab omni suspitione sceleris immunis esse, secundum traditionem Pauli Apostoli, ad Timoth. 1. cap. 3. asserentis: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium: prudentem, pudicum, ornatum, hospitem, doctorem, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suę domui bene propositum, non neophytum. Quę omnia fuse explicantur in Gratiani Decreto, à 23. distinctione vsque in finem 100. distinctionis. Et specialitè exprimuntur in c. his igitur, dist. 23. & c. qui Episcopus, dist. 23. Quibus locis, qualis præficiendorum, clericorum conuersatio esse debeat, latissimè disseritur.

Potissimùm autem præficiendorum qualitas circa commemoratas virtutes attenditur: quibus non tantùm crimina, quibus animus deprauatur, verùm etiam inscitia, mali mores, & crassa rusticitas aduersantur. Ob quæ, non tantùm ad præfecturas non admittuntur: sed etiam promoti deponuntur. Vnde Episcopus Calinensis, qui confessus est, se nūquam Grammaticam didicisse, vel legisse Donatum, ab Honorio III. Pontifice deponitur est. Ratio huius est in c. quāuis, extr. eod. Quia contra Deum & Canonicas sanctiones est, tantum in Episcopo tolerare defectum. Alia ratio est in c. indecorum, extr. eod. Indecorū est, vt hi debeant Ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipfos: cū ad Ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretionem, prudentiam, & doctrinæ præstantia præmineant, & morum fulgeant honestate, d. c. indecorum, extr. eod.

Præ-

*Præficiendus in quibus Ordinibus de-  
beat esse constitutus?*

In admiffione clericorum ad præfecturas & dignitates, Ordinis etiam habetur ratio, fcilicet, vt præficiendus in facris Ordinibus, & ad minimum, in inferiori fit cõstitutus. Quoniam Subdiaconus absque dispensatione in Episcopum eligitur, c. à multis, extr. eod. Tametsi ad regimen parochialis Ecclesiæ, is, qui nõdum est in facris: sicuti monachus in minoribus Ordinibus in Abbatem, instante necessitatis articulo, dispensatiuè possit assumi, c. præterea, & c. tuã in domino, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Exigente necessitate & vtilitate, potest Episcopus clericos ad suscipiendos Ordines cogere, c. quæris, extr. eod.*

*Qui reputatus est dignus ad vnum ordinem vel honorem, non debet indignus ad alium reputari, c. gesta, dist. 74. c. Christus, quæst. 1.*

*Sanctius est, paucos bonos, quàm multos malos habere ministros, c. cum sit ars, extr. eod.*

*Delictum personæ nõ debet in damnum Ecclesiæ redundare, c. si Episcopum, 16. quæst. 6.*

*In ambiguis rebus non debet esse absolutum iudicium, c. habuisse, dist. 33.*

*Ordinatus ad sacros sine titulo, ab Ordinatore iustè petit beneficium, c. accepimus, extr. eod.*

*Necessitati & vtilitati Ecclesiæ omnibus modis succurrendum est, c. quæris, extr. eod.*



*Titulus XV.*

Continuatio.

**Q**uidam Prælati, antequam ea, quæ dignitas sunt, exerceant, cum quadam solenni-um obseruatione sacra deliniuntur vnctione, vt hoc in signum adeptæ gratiæ rectius officio iniuncto fungi possint.

*Quid est sacra Vnctio?*

Sacra vnctio est, visibile signum interiùs infusæ gratiæ, qua Deus cor mentisque synceritatem ad ministeria & officia, secundum cuiusque vocationem, summo cum pietatis & charitatis feruore, administranda delinit, c. 1. §. per oleum, extr. de sacra Vnctione.

*Quotuplex est sacra Vnctio? & quid exterior?*

Duplex sacra vnctio, exterior, & interior. Exterior est, materialis & visibilis, quæ corpus inungit, illiusque interioris significatiua, c. 1. extr. eod.

*Quid interior?*

Interior est, spiritualis & inuisibilis, qua cor ad nitorem conscientiæ conseruandum & augendum, diuinamque adipiscendam gratiam vngitur, d. c. 1. §. scire te, extr. eod. Sunt & aliæ vnctiones,

ctiones, quibus Episcopi, vel clerici vtuntur in conferendis Ordinibus, Bap̄tismate, Chrismate, consecrandis altaribus, dedicandis templis, benedicendis calicibus, quin & Imperator Romanus in brachio, seu in humero vel harmo, non autem in capite (vt olim) vngitur, d. c. 1. §. refert, & §. quia verò, & §. vngitur, extr. eod.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens interioris vnctionis est, Deus ipse: exterioris, Episcopus, vel presbyter, vel alius, vngendi potestatem habens.

*Quæ Materia?*

Materia, ex qua est, dicitur esse Chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo. Manus enim unguuntur oleo pietatis, caput autem balsamo charitatis, d. c. 1. §. per caput. extr. eod.

*Quod Obiectum?*

Obiectum est, corpus, & animus eius, qui ad dignitatem euehitur, & vngitur.

*Quæ Forma?*

Forma exprimitur illa solenni verborum conceptione: quibus Episcopus vel presbyter in vngendo vtitur, & legitur de his, 23. dist. c. Episcopus, 75. dist. c. 1. in eod. vsque ad §. vnde in veteri. Qualiter autem clerici ordinentur, legitur 23. dist. c. presbyter, & c. sequent. vsque ad c. psalmista, & not. supr. de tempo. ord. §. & à quo, & §. & qualiter, per Host.

*Quis Finis & Effectus?*

Finis & effectus est, auctio gratiæ diuinæ, ad exequendum rectius ea, quæ cuiusque ordinatio, dignitas, & conditio requirit, c. Episcopi, §. qualiter, extr. de translat. epif. addit Alphonsus in suo thesauro Christ. relig. adhuc 7. effectus. 2. effectus est, consolidatio spiritualis debilitatis per peccatum inductæ. 3. sanitas corporalis. 4. remissio peccati venialis & mortalis. 5. diminutio pænæ peccato mortali debitæ. 6. interior lætitia. 7. arctatio diabolicæ potestatis. 8. protestatio decedentis, quarum explicationem apud Alphonsum, tit. hoc, vide.

DE SACRAMENTIS NON  
iterandis.

*Titulus XVI.*

## Continuatio.

**S**I quid in Ordine prætermissum sit, non de nouo instituenda est ordinatio: sed, quò ad fieri possit, cautè supplebitur id, quod per errorem, vel incautè neglectum est, c. 1. & c. presbyter, extr. eod. Rationem quære, in c. 1. quæst. 1. & c. sacramenta, & c. manus. Nisi omninò contra formam Ecclesiæ ordinatio fuerit facta, arg. 12. quæst. 2. c. sine exceptione, 35. [quæst. 5. c. alter.

DE

*Titulus XVII.*

Continuatio:

*Et quid Illegitimitio?*

**D**ictum est supra, vitium natalium impedi-  
mentum præstare Ordinationi. Quod ni-  
hil aliud est, quàm, si filius ex parentibus,  
qui iuxta Imperiales & Ecclesiasticas traditio-  
nes, matrimonium non contraxerunt, natus sit.  
Vnde illegitimitio, vitiosa conditio natalium,  
ex iniustis nuptijs, vel illicito coitu, parentum  
contracta dicitur.

*Quæ causa Illegitimationis?*

Causa illegitimationis est, coitus nefarius, in-  
cestuosus, & concubinatus parentum.

*Qui Effectus?*

Effectus principaliter sunt, priuatio paternæ  
hæreditatis, distinctione quadam obseruata. Si-  
quidem filijs ex cõcubinato natis, vnà cū matre  
tantum debentur duæ vnciæ hæreditatis pater-  
næ, id est sexta pars, §. si quis autem, cum similib.  
in Auth. quibus modis nat. eff. sui, & Auth. licet,  
§. ab intestato, C. de natural. lib. spurij autem. i.  
ex publico scorto nati, cū patrē demonstrare  
non possint, sed de matre certi, nō patri, sed ma-  
tri, si non fuerit illustris persona mater, succe-  
dūt, gl. in l. si qua illustris, c. de seq. conf. Orphici-  
ano. Si verò ex incestuoso & nefario concubitu  
sint procreati, neq; ad successionē patris, neq; ma-  
tris admittuntur. Nec de rigore iuris ciuilis, illis  
alimēta debētur à parētib. cū sint omni parentū  
sub,

substantia indigni: nec nomen habeant filiorum, §. fin. Auth. quibus modis effi. sui, col. 7. Auth. ex complexu, C. de nefar. & incest. nupt. De æquitate tamen canonica debentur eis alimenta, c. cum haberet, & ibi glos. extr. de eo qui dux. in matris quam per adul. pol.

Secundus effectus est, quòd filij illegitimi, ex quocunq; coitu, extra matrimoniū, procreati, ad Ordines, vel dignitates promoueri non possint. Sunt & alij effectus qui passim colliguntur.

### Q V A E S T I O.

*An filij presbyterorum ordinari possint?*

Hinc quæritur: an filij presbyterorum ordinari possint? Circa quam quæstionem sciendum, filium presbyteri variè dici. Dicitur enim filius presbyteri & legitimè natus, qui ex matrimonio, in quo parès cum legitima vxore, ante presbyteratum, vixit, progenitus est.

Secundò, filius presbyteri dicitur, quem patris in presbyteratu consistentis, effusa libido in lucem produxit: & hic spurio, & ex incestu damnatoque coitu nato filio comparatur. Nefas enim est, patrem diuino cultui deditū, rem veream exercere, illicitosq; quærere coitus, c. proposuisti, & c. presbyter, dist. 82. & per tot. dist. 83.

Tertiò, filius presbyteri dicitur legitimatus, qui quidem à patre presbytero, extra legitimas nuptias natus, sed per diploma Summi Pontificis, vel rescriptum Principis, de plenitudine potestatis legitimationem consecutus est, regulariter enim aliàs legitimari non potest, Bart. in l. si quæ illustris, C. de senatusconsul. Orphi. Nunc distin-

distinguitur: Aut filij presbyterorum sunt ex legitimo matrimonio procreati: aut ex illicito coitu, aut legitimati. Si ex legitimo matrimonio, aut sunt filij Episcopi, aut clerici in inferioribus Ordinibus constituti. Si clerici, aut petunt se promoueri in Ecclesia paterna, vel, in qua pater rector mediatè vel immediatè extitit: si pater immediatè Ecclesiæ præfuit, nõ possunt promoueri ad beneficium in eadem Ecclesia, c. ad extirpandas, & c. quando, extr. de filijs presbyterorũ ord. vel non. Ratio est in c. ex transmissa, eod. Quia Apostolici rescripti decretum successionem hereditariam in Ecclesia Dei detestatur: Sin autem mediatè, videlicet, interposita alia persona, pater rector extitit, tunc cùm prohibitionis ratio cesset, promoueri possunt, d. c. ex transmissa: si autem petant beneficia in Ecclesia, quam pater nõ rexit, proculdubiò admittendi sunt, cùm hi non tantum ad beneficia peruenire, verum etiam, pro qualitate morum & doctrine, dignitatis gradus conscendere non prohibeantur, c. literas, extr. eod. & c. nisi, §. vnde patet, extr. de renunt. Sin autem Episcopi filij fuerint, & legitimè nati, licitè possunt ad sacros Ordines peruenire: & in eisdem Ecclesijs, in quibus præfunt, vel immediatè præfuerunt genitores eorum, nullo impedimento obstante, beneficia obtinere, c. ad hæc, extr. eod. Si aut filij nõ ex legitimo matrimonio, sed ex illicito coitu, extra matrimoniũ, sint progeneriti: tunc, aut in vitijs, vestigijs parentum insunt, aut parentũ vitia non sequuntur: si parentũ vitia æmulantur, tunc cū duæ prohibitionis rationes concurrant, ab Ordinibus omnimodè sunt arcendi;

arcendi;

arcēdi: fin autem vitia parēntum non sequūtur, tunc, aut petunt se promoueri ad dignitatem aliquam, aut ad beneficium. Si ad dignitatem, tunc discretionis adhibito moderamine, vitia institutionis, doctrinæ, & similibus, præuia dispensatione, admittuntur, vel repelluntur, argumento, c. nisi, §. vnde patet, extr. de renunt. c. Cœnomanensem, dist. 56. Si autem petunt beneficium, aut in Ecclesia petunt, cui pater immediatè præfuit. Et iterum distingue: aut Episcopus cōtulit filiis sacerdotium, beneficium scienter, & eos remouere non potest, c. veniens, extr. eod. aut ignoranter, vel per patrē, vel aliās filij promoti sunt, & audiendi non sunt, c. ad præsentiam, §. præsentium, c. conquerente, c. quoniam, c. vt filius, extr. de filiis presbyt. ord. Sin autē in Ecclesia, cui pater immediatè non præfuit: distinguitur: aut beneficium est curatum, aut non curatum: si curatum, tūc illegitimus, sicuti ad dignitatem & personatum, ita ad beneficium curatum, absq; dispensatione, peruenire non potest, c. nimis in tua, extr. eod. si autem curam animarum nō habeat, promoueri cum dispensatione non potest, c. cōstitutus, c. ex transmissa, c. proposuit, extr. eod.

Cūm verò filius presbyteri de plenitudine potestatis fuerit legitimatus, nihilo magis promoueri potest, quàm iuxta distinctiones præmissas, quia legitimatus est similis Alchimix, quæ facit apparere, quod non est, inquit Bal. in c. 1. col. 5. de const. quem refert & sequitur Iason, in l. cūm acutissimi, C. de fideicommiss. & idem Bald. in c. fin. extr. de transl. Episcoporum, ait legitimatum assimilari homini medicato à morbo, in quo

quò semper aliquæ remanent cicatrices. Vt cunq; ergo spurij efficiantur legitimi, remanent tamé infames de facto, inter bonos & graues viros, Bald. in l. 4. ff. de lib. & posth. infamibus autem portæ dignitatum patere non debent, c. infamibus, de reg. iuris, in 6.

*Quæ causæ impulsivæ prohibendi?*

Causæ impulsivæ prohibendi illegitimis Ordinibus, sunt tres: 1. dignitas & excellentia Ordinis clericalis, quæ turpibus & infamibus committi non debent, c. inter dilectos, extr. de excess. prælat. 2. detestatio criminis paterni, quod plerunque in filiis detestatur & punitur, vt in crimine læsæ maiestatis, 6. quæst. 1. §. verum, & c. vergētis, c. hæresi, extr. de hæret. 3. causa est, timor paternæ incontinentiæ, cum sæpè filius patris mores sequatur, c. literas, extr. eod. arg. c. quando generaliter, 24. distin. c. si gens, dist. 56. c. penult. 2. quæst. 7.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Illegitimus filius sacerdotis, qui, hoc tacito, per rescriptum Apostolicum paternam Ecclesiam impetrauit, remouetur ab ea, c. ad præsentiam, eod.*

*Filius, siue sit legitimus, siue illegitimus, remouetur ab Ecclesia, in qua immediatè successit patri vicario, vel rectori, c. ad extirpandas, extr. eod. c. cū decorem, eod.*

*Illegitimus, absque dispensatione Papæ, ad dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum, promoueri non potest, c. nimis, eod.*

Si



Si illegitimus, maximè filius spurius, instituatur in Ecclesia, in qua institutus est pater, institutio non valet, & instituens à suis beneficijs suspenditur, c. ad abolendam, extr. eod.

Culpa parentum non debet nocere filijs, arg. eo. dist. 56. c. multorum, 27. q. 2. contrà habetur, 6. q. 1. §. verum, & c. vergentis, extr. de heret.

Indulta principis, intelliguntur sine præiudicio tertij: nisi Imperator hoc exprimeret, & motu proprio, & ex certa scientia hoc prouideret, 2. l. §. si quis, ff. ne quid in loco pub.

Quod singulari fauore conceditur hoc non est trahendum ad consequentiã: filius igitur sacerdotis, suffragantibus meritis, in Episcopum electus, non deponitur, licet in posterum pro regula hoc non sit assumendum, c. Cænomanensem, 56. dist.

Nasci ex adulterio, non est eius culpa, qui nascitur, sed illius, qui generat. Iniquitates enim parentum filijs obesse nõ possunt: cum non parentum, sed propria culpa quæque condemnet, c. nasci, distinct. 56. & duobus sequentibus c.

Vitia parentum etiam ad posteros transferuntur, c. si gens Anglorum, dist. 56.

Spurijs & seruis in Ordinatione equiparantur, c. cõsultuit, tit. seq.

Filius sequitur conditionem matris: hinc dicitur: partus sequitur ventrem, c. nullus, tit. seq.

DE SERVIS NON ORDINAN-  
dis, & eorum manumissione.*Titulus XVII.*

## Continuatio.

**S**tatus & conditio personę impediunt Ordinationem, nisi is, qui seruituti obnoxius, in libertatem, & ex veteri, in nouū hominem, per manumissionem trāsmutetur, toto tit. eod.

*Quid Seruitus?*

Seruitus est, cōstitutio iuris gentiū, vt inquit Imperator, inst. de iure personarum, qua quis, contra naturam, alieno dominio subiicitur.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens sunt, ius gentium, & ius ciuile, quia vel iure gentium, vel iure ciuili, serui fiunt.

*Quod Subiectum?*

Subiectum est, persona serui dominicę potestati subiecti.

*Quod Obiectum?*

Obiectum seruitutis est, seruitium, ad cuius præstationem seruus domino obligatur.

*Quæ Forma?*

Forma seruitutis est, obligatio illa partim iure gentium, partim iure ciuili introducta, qua seruus domino tenetur. Variè autem in potestatem dominicam redigitur. Iure gentiū quidem, per captiuitatem, vel natiuitatem: nam capti in

H . bello

bello publico, serui hostium efficiebantur, l. 4. ff. de statu hominum, & natus ex ancilla seruituti obnoxia conditionem sequitur matris, licet aliàs quoad honores & dignitates patris status profit. Ius etiam ciuile certos modos efficiendi seruos tradit. Primus est, venditio sui ipsius. ad quam requiruntur quatuor, 1. iusta ætas, scilicet, 20. annorum. 2. consensus vendentis. 3. participatio præcij. 4. notitia conditionis, glo. in c. ius gentium, dist. 1. Abb. c. sicut, ext. de iureiuran. Et nota infra, de Treuga & pace, vide c. de famulis, & c. nullus, extr. eod. c. Episcopus, §. libertus, 12. quæst. 2. Secundus, autoritas Principis in cõfugientibus ad latronum familiam, l. 2. C. quibus ad liber. procla. nõ licet. Tertius, assertio principalis, l. 1. §. omnes, C. de assert. toll. Quartus, ingratitude erga patronos, l. 2. C. de liber. & eorum lib. Quintus, capitale supplicium. nã damnatus ad mortem per sententiam, seruus pœnæ efficitur, l. qui ultimo, ff. de pœn.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis seruitutis est, vt homines in publico bello capti seruarentur. Imperatores enim captiuos vendere solebant & per hoc seruare ne occiderentur, l. 4. ff. de statu hominum.

*Qui Effectus Seruitutis?*

Effectus sunt, 1. quòd seruus, quicquid acquirit, domino, cuius potestati subiectus est, acquirit, l. 1. §. igitur, ff. de statu hominum. 2. quòd oës ei actus ciuilis iuris sunt interdicti: nec testamenta, facere, nec testificari: licet ex persona domini

mini contrahere possit, l. si filius fam. ff. de testamento, & l. qui testamento, §. seruus, ff. de testamento. 3. quod sacra, & Ecclesiastica munia ei sint prohibita: nec ad Ordines promoueri possit, nisi per expressam manumissionem, vel tacito domini consensu libertatem sit consecutus, tot. tit. hoc, & per tot. dist. 54.

*Quæ causa Prohibitionis?*

Causa prohibitionis est, utilitas conditionis seruilis, & ediuersò dignitas clericalis, c. admittuntur, 54. dist.

*Quæ Cognata?*

Affinitatem quandam cum seruitute, quoad subiectionem habet, adscriptitiorum, propriorum hominum, & monachorum, vel religiosorum, cuiuslibet Collegij Prælato subiectorum, conditio: in quibus omnibus est quædam seruitutis imago, Nouel. de monach. §. cogitandum.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, ingenuitas, & libertinitas.

*Qui dicuntur Ingenui?*

Ingenui sunt, qui, quamprimum vt nati sunt, liberi sunt, quod fit: si ex vtroq; parente libero, vel matre tantum, vno ex tribus temporibus, videlicet, cõceptionis, gestionis, vel natiuitatis, tempore, in libertate existente, natus est, l. & seruorum, §. ingenui, ff. de stat. hom.

*Qui sunt Libertini?*

Libertini sunt, quibus per manumissionem à domino libertas concessa est, l. libertini, ff. de stat. hominum.

H 2

Quæ

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens libertinitatis est, beneficentia & voluntas domini manumittentis seruum.

*Quod Obiectum?*

Obiectum est, ipsa libertas.

*Quæ Forma?*

Forma libertinitatis est, ipsa manumissio, quæ est constitutio iuris gentiũ secundarij, qua quis dominio alieno secundum naturam eximitur, l. manumissiones, ff. de iustitia & iure, Et huius, veteri iure Romanorum, tres erant modi, vt apud Ciceronem in Top. & Vlp. in frag. tit. 1. Censur, videlicet, vindicta, & testamentum. censur dicebantur manumitti, qui iussu domini, siue eius voluntate nomen deferebant in censur anno quoquo lustrali: est de ea re pulcher locus in Orat. pro Arch. poet. Manumissio vindicta fiebat apud magistratum, prætorem, consulem, & proconsulem, quibusdam solennibus obseruatis: de hac, & de testamentaria manumissione multi sunt in ff. & C. titul. His tribus modis adijcit Iustinianus, in instit. tit. de libertinis, §. multis autem, alios manumittendi modos.

*Qui Effectus?*

Inter alios effectus, hic vnus est, quod seruus manumissus quodammodo sui iuris effectus, actus iuris ciuilibus exercere, & ad ordines promoueri, eaque, quæ muneris ecclesiastici sunt, liber peragere possit. Circa hunc tamen effectum distinguitur: aut seruus ordinatus est, domino sciēte, aut ignorante, aut contradicente. si domino sciēte, &

ente, & non cōtradiciente, tacitè præsumitur manumissus, & per promotiones ad Ordines liber & ingenuus fit, c. si seruus, dist. 54. Si, domino ignorante, præsentatore & ordinatore etiam ignorantibus, minores ordines acceperit, restituendus est domino, c. nulli, dist. 54. Quòd si in presbyterum ordinatus fuerit, multabitur peculio, si habet, c. ex antiquis, extr. eod. si non habet, tenetur domino ad operas canonicas, c. frequens, dist. 54. Quòd si cōtumaciter hoc recuset, deponi poterit, c. nullus, extr. eod. Cùm autem ordinator & præsentator defectum ordinati sciebant, ad duplicatam mancipij æquiualentis præstationem domino tenentur, c. si seruus, dist. 54.

DE OBLIGATIS AD RATIO-  
cinia.

*Titulus XIX.*

Continuatio.

**O**bligatio, qua quis ad redditionem rationum obstringitur, ab Ordinibus remouet petentem.

*Quæ dicuntur Ratiocinia!*

Sunt ratiocinia rationum redditiones, ad quas aliquis obligatur, ex administratione rerum publicarum, vel priuatarum: quæ aliàs dicuntur actionalia & ratiocinalia, c. hæc huius, 12. quæst. 2.

H 3      *Quid*

*Quid est obligatio ad Ratiocinia?*

Obligatio ad ratiocinia est, ius reddendæ ratiõis, in quolibet negotio, quod quis altero nomine, ex mandato, vel sine mandato, voluntariè, vel à magistratu coactus administrauit, gessitque.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens huius obligationis est, contractus, vt mandatum, & quasi contractus, vt negotiorum gestio, & tutelarum administratio.

*Quæ Materia?*

Materia sunt, negotia publica & priuata, tam in iudicio, quàm extra iudicium.

*Quæ Forma?*

Forma certa non potest dari, cum non sit vnũ genus negotij cuius administratio suscipitur.

*Quis Effectus?*

Effectus est, actio directa negotiorum gestorum, mandati, & tutelæ, qua tenentur gestores, vt sunt procurator ad negotia, procurator ad lites, executor testamentorum, tutor, vel curator pupillorum, rei administratæ rationem reddere domino: qua non reddita, adspirantes ad Ordines repelluntur, tot. titul. eod. &, cap. 1. distinct. 51.

*Que*

*Quæ causa Impulsiva?*

Causa impulsiva prohibitionis est, vilitas personæ, quæ faciliè ex officio irregularitatem contrahit. Secundò, præsumptio contra eos, quòd non transeant ad clericatum voto religionis, sed vt fugiant ratiocinia dominorum, c. legem, dist. 52. c. 1. 2. & 3. dist. 51.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis est, ne Ecclesia molestetur, & incommoda patiatur, propter tales, si, ob redditas rationes repetantur, c. præterea, dist. 51.

DE CORPORE VITIATIS  
ordinandis, vel non.

*Titulus XX.*

## Continuatio.

**V**itium corporis magnam deformitatem inducens, licet non appareat, mala tamen vitii intentione acquisitum Ordinationi impedimento est.

*Quis dicitur vitiatus corpore?*

Vitiatus corpore dicitur, qui debilitate, deformitate, aut impotentia membri, vel totius corporis laborat, c. cum de tua, extr. eod.

H 4

*Quæ*



*Quæ vitia corporis sunt causa Efficiens Irregularitatis?*

Causa irregularitatis sunt, vitia apparentia, quæ magnam deformitatem faciei, vel corporis inducunt: siue culpa vitiati, siue absque culpa, & casu contigerint: vt est cæcitas, vel magna deformitas faciei, vel defectus corporis apparens. vnde cæcus, monoculus, vel maculatus in facie, promoueri non possunt, c. cum de tua, extr. eod. c. si euangelica, dist. 55. Et censetur potissimum deformis defectus corporis, qui sacris tractandis impedimētum præstat. Vnde Innocētius III. Abbatem mutilatum manu, qui in promotione sua id fraudulenter tacuerat, ab Abbatia officio amoueri iussit, c. exposuisti, extr. eod. Secundò irregularem efficiunt, vitia non apparentia, vel apparentia quidem, sed quæ non aded deformem clericum reddūt sub distinctione quadam. Aut enim clerico casu, vel nolenti, & inuito, vi vel iniuriâ Medicorum, vel hostiū, sunt illata. Vt si per insidias hominum, incuriam Medicorum, vel in persecutione hostiū Eunuchus factus, vel in aliquo membro, ad sacri tamen ministerij functionem necessariò non requisito mutilatus, vel ita natus fuerit. Et his casibus, neq; ab Ordinibus, neque dignitatibus arcetur, c. si quis à Medicis, c. si quis, pro ægritudine, dist. 55. c. ex parte, extr. eod. c. Eunuchus, dist. 55. Aut sua culpa abscissio virilium, vel membrorum mutilatio contigit, vt si maritus clericum apud uxorem inueniat, & de membris eius vindictam sumat, vel sanus seipsum abscidit, vel membrum aliquod

aliquod amputavit. Aut sine culpa, tamen voluntariè affectavit, vt ab alijs abscinderetur, vel læderetur. Et ad sacerdotij iura aliosque Ordines vel dignitates non admittitur, 24. quæst. 5. c. placuit, c. maritum, dist. 33. c. si quis absciderit, & c. lator, dist. 55.

*Quæ causæ huius prohibitionis?*

Causæ prohibitionis sunt, 1. quia, qui sibi ipsi virilia diminuit, vel abscidit, vel mutilationem membri inducit, vel ab alio, vt fieret, affectavit, sui homicida est, & conditioni Dei inimicus, c. si quis absciderit, dist. 55. Verùm in alijs, qui sine culpa sua, ab alio, vel casu fortuito, mutilantur, est, sicuti irregularitatis, ita etiã prohibitionis, causa deformitas in membris apparentibus, & debilitas tam in apparentibus, quàm non apparentibus. Cuius consideratio: quæ, scilicet, deformitas, vel debilitas impedimento ordinationi, vel vltiori promotioni sit: relinquatur Superioris arbitrio & discretioni, argumento, c. 1. & c. 2. & penul. extr. de cler. ægrot.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Sacerdos, qui sine culpa virilia sibi fecit abscindi, credens se obsequium præstare Deo, præter altaris ministerium, officium suum exercere potest, c. significavit, extr. eod.*

*Vitium magnam deformitatem corporis inducens promotioni ad dignitates, & ad Ordines obstat, c. cum de tua, extr. eod.*

122 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE BIGAMIS NON OR-  
dinandis.

*Titulus XXI.*

Continuatio.

**B**igamia est irregularitatis causa impediens  
Ordinationem.

*Quis dicitur Bigamus?*

Bigamus dicitur, non qui cum virgine con-  
traxit, licet prius alij fuerit desponsata: nec qui  
cum vidua, vel qui plures cognouit cōcubinas,  
sed qui duarum vxorum maritus legitimus fu-  
it, c. debitum, c. à nobis, c. quia circa, c. nuper à no-  
bis, extr. eod.

*Quæ causa efficiens Biga-  
miæ?*

Causa efficiens Bigamiæ est duplex, & itera-  
tum matrimonium cum duabus legitimis vxo-  
ribus successiuè contractum, & copula carnali  
consummatum.

*Quis Effectus?*

Effectus est, quòd Bigamus coertitioni fori  
secularis ita obstringatur, vt inde recedere non  
possit: ob idque omni priuilegio clericali nuda-  
tus, ab Ordinibus arceatur, c. altercationis, de Bi-  
ga, in 6. c. maritum, dist. 33. licet necessitate instan-  
te in Subdiaconum promoueatur, 34. dist. c. le-  
ctor.

*Quæ*

*Quæ Causæ prohibendi?*

Causæ prohibendi bigamis Ordines secundum Hostiensem, sunt quatuor, 1. Propter defectum sacramenti vnionis: cum carnem suam in plures diuiserit, 26. dist. c. acutiùs. 2. Propter prærogatiuam Ordinis, c. vna, dist. 26. 3. Propter signum incontinentiæ: cum, vxore mortua, aliam duxerit, c. proposuisti, dist. 82. 4. Ex eo, quod frequentator coniugiorum non habeat frontem viduitatem hortandi, d. c. vna, dist. 26.

## DE CLERICIS PEREGRINIS.

*Titulus XXII.**Quis dicitur Peregrinus?*

**C**Lericus peregrinus dicitur, qui in remotis regionibus, extra prouinciã, ordinatus est: is si ordinationem suam quinque Episcoporum sigillis probare non poterit, ad administrationem sacri ministerij, etiamsi se ordinatũ iuret, non admittitur.

*Quæ causa prohibiti-  
nis?*

Causa prohibitionis est, præsumptio, quæ cõtra ipsum militat, non esse ipsum Ordinatũ, vel per saltum suscepisse Ordines.

*Quis*

*Quis dicitur Ordinatus per saltum?*

Per saltum Ordinatus dicitur, qui vel ex negligentia, vel superbia, prætermisissis aliquibus gradibus, ad maiores confugerit Ordines, c. qui verò, & c. sollicitudo, dist. 52.

## DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

*Titulus XXIII.*

## Continuatio.

**D**vo sunt Prælatorum genera: quidam in Episcopatu constituti, magna potestate & reuerenda dignitatis præminetia clari: alij autem maioribus subsunt, & in Ecclesiæ ministerio deseruiunt, vicemque maiorum, si ipsi præesse non possint, subeunt. Quorum inferiorum cuiuslibet officium suum, ordine & gradibus præminetia obseruatis, assignatur.

*Archidiaconus qui dicitur?*

Archidiaconus est, vicarius proximus Episcopo, omnem sollicitudinem & curam, tam in clericis, quam in Ecclesijs eorum, cognitionemque & ordinariam iurisdictionem habens, c. 1. extr. de off. Archidia.

*Quod est officium Archidiaconi?*

Officium Archidiaconi est, omnia Ecclesiastica

ftica officia, vt ritè exequantur, prouidere, Acolytum ordinare, custodiam vasorum habere, de tertio in tertium annum diocœsim, & Ecclesias Episcopo subiectas visitare, quæ emendatione indigent corrigere, promouendos ad sacros Ordines & beneficijs Ecclesiasticis præficiendos, examinare: postea Episcopo examinatos & probatos præsentare, sedibus cõdignis quemlibet Prælatum locare, omnem curam & sollicitudinem, tam in clericis, quàm in Ecclesijs eorum, (cùm super his sit in districti examinis iudicio rationem Deo redditurus) impendere cognitionem, & iurisdictionem ordinariam exercere, iurgia singulorum audire, Archidiaconis, Diaconis, & reliquis inferioribus præfidere, & demum in omnibus vicem Episcopi gerere: nisi ardua negotia maiorem authoritatem desiderent, c. i. c. ad hæc, c. officium, c. mandamus, c. vt nostrum, extr. eod.

DE OFFICIO ARCHL  
presbyteri.

*Titulus XXIIII.*

*Quis dicitur Archipresbyter?*

**A**rchipresbyter dicitur Prælatum cæteris presbyteris eminentior, vicem absentis Episcopi in spiritualibus gerens, c. ministerium, & c. officium, extr. eod.

Quod

*Quod est eius officium?*

Archipresbyteri officium est, officia sacra in cantanda Missa, benedictionibus conferendis, sacramentis administrandis, & ut sacerdotes in administrandis se probè gerant, curare, pœnitentem, infirmum consulto Episcopo reconciliare, pœnitentiam cunctis alijs sacerdotibus iniungere, atque Archidiaconi præceptis, sicuti etiam Episcopi, obsequium præbere, &c. c. ministerium, c. officium, extr. eod. c. nunquam, dist. 5. de consecrat, 25. quæst. 1. §. is ita, c. cum venerabilis, extr. de consuet.

## DE OFFICIO PRIMICERIJ.

*Titulus XXV.**Quod est Primicerij officium?*

**A**D Primicerij, qui & cantor, præcentor, vel succentor dicitur, curam specialiter pertinet, ut præsit in docendo Diaconis, reliquis gradibus Ecclesiasticis in Ordine positus, lectionesque Diaconis, quæ ad nocturna officia clericorum pertineant, absque vlla negligentia donet. Atque in his, quæ sibi commissa sunt iurisdictionem ordinariam habet, c. cum ab, extr. de off. ordina. & c. unico, extr. eod.

DE

LIBER PRIMVS. 127  
DE OFFICIO SACRISTÆ.

*Titulus XXVI.*

*Quod est Sacristæ officium?*

Sacrista, aliàs thesaurarius dicitur, subijcitur Archidiacono, & est eius officium sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, nec non, quæ ad luminaria pertinent, custodiam habere, c. vnicoco, extr. de officio sacristæ, & c. perlectis, 25. dist.

DE OFFICIO CVSTODIS.

*Titulus XXVII.*

*Quod est Custodis officium?*

Custos dicitur, cui omnia, quæ Ecclesiæ sunt, custodienda committuntur: siue sint Ecclesiastica ornamenta, vtensilia Ecclesiæ, & lintheamina altaris, & similia. Cuius officium est, commissa suæ industriæ, & fidei diligenter custodire, canonicis horis signa tintinnabulorū pulsare, lampades & laternas accendere, & extinguere, omnes oblationes, eleemosynas, seu decimas pariter inter fratres diuidere, c. 1. & c. 2. ext. eod. 1. quæst. 5. c. †. agat omnia.

DE



*Titulus XXVIII.*

## Continuatio.

**C**ontingit, vt Prælati, inferioresque quidam Clerici quandoque varijs occupationibus & negotijs districti, non possint omnibus, quæ officij ratio exigit, interesse: ne igitur ex tali neglectu ad Ecclesiam, vel priuatum, quid detrimenti dimanet, in commissis, ratione officij, sibi negotijs alterius cuiusdam Ecclesiasticæ personæ opera tanquam fide vicaria vti permittunt Canones.

*Quid est Vicariatus?*

Vicariatus est, munus ab Ordinario, vel clerico, ad celebranda diuina ministeria, aliisque quæ ad munus Ordinarij pertinent exercenda, & expedienda, commissum, c. 1. dist. 94. & c. fin. dist. 93.

*Quotupliciter intelligitur Vicariatus?*

Vicariatus, vel in ministerijs diuinis celebrandis, vel in iurisdictione exercenda consistere dicitur. Atque hi, qui ad officia sacra obeunda constituentur vicarij. Qui autem ad iurisdictionem exercendam, Officiales, vel Missi dominici, aliisque nominibus appellantur, glos. cler. ver. officiales, de rescript.

*Quæ.*

*Quæ est causa Efficiens?*

Causa efficiens est, consensus cleri, iuncta auctoritate Episcopi. Quilibet enim clericorum, qui iuxta causa impeditus officio suo fungi nequit, & necessitas religioꝝ suadeat, ministerio huic peragendo alterius cuiusdam fidem vicariam supponi, potest, permissu Episcopi, vicarium, per quem deseruiat, constituere. Ex quo apparet, ad constitutionem vicarij duo requiri: 1. iustam causam, quarum Hostiens. in §. & in quibus, extr. eod. 12. recēset; cū alioquin in propria persona deseruire teneatur, c. quia nonnulli, & c. relatum, extr. de clericis non residen. 2. auctoritatem Episcopi, consentientis & confirmantis talem constitutionem, c. non sine, extr. de Arb. Possunt etiã Papa summus patriarcha, Archiepiscopus, & Episcopus vices suas presbyteris, diaconis, & subdiaconis cōmittere, c. subdiacono, dist. 9 4. c. sua nobis, c. ad hæc, extr. de offic. vicarij.

*Quod est Subiectum?*

Subiectum est, clericus secularis in Ordinibus constitutus: hic siquidem vicarius constitui potest. Non ordinis mendicantium religiosus, neque monachus, vel clericus regularis, nisi cum licentia Prælati sui, cui subiecti sunt, c. in nouo, 16. quæst. 7. c. ille, §. ad prioratus, extr. de rescrip. Neque laicus constitui potest. Ratio horum est: quia in vno eodemq; officio non debet dispar esse professio, & indecorū est, vicarium Episcopi laicum esse, & viros Ecclesiasticos iudicare, c. in nona, 16. quæst. 7.

I

Quod

*Quod est Obiectum?*

Obiectum est, negotium, quod vicario committitur, administrandum. Et id in spiritualibus & temporalibus consistit: nam, si in altero horum tantum constitueretur, nihil actum esset, Rebuff. in praxi, tit. de vicar. Episc. num. 18.

*Quae Forma constituendi Vicarium?*

Forma constitutionis est, ut allegata per constituentem iusta causa constituendi, Episcopus auctoritate & consensu constitutionem confirmet. Quod si autem Superior in dignitate constituat in vrbe vel in castris, municipijs, locisq; insignibus suae diecesis ad iurisdictionem, tam in spiritualibus, quam temporalibus, simul exercendam constitutio fieri debet.

*Quae causa Finalis?*

Causa finalis est, ne Ecclesia, vel quis privatorum, ob intermissum munus, damnum aliquod incurrat.

*Qui Effectus?*

Effectus constitutionis est, facultas administrandi spiritualia & temporalia, si vicarius a superiore quodam praelato iurisdictionem ordinariam habente constitutus sit: si autem ab inferiore clerico: potestas administrandi tantum ea, quae ipse administrare potuisset. Et sciendum est, spiritualia, iurisdictionis & ordinis esse, siquae administrationem triplicem hic intelligi.

1. Spiritus

1. Spiritualium, quoad iurisdictionem: quæ consistit in excommunicando, suspendendo, interdicens, conferendo, instituendo, confirmando, eligendo, presentando, dispensando, & similibus. 2. Spiritualium, quoad ordinem: quæ consistit in ordinando, deponendo, chrismate conficiendo, virginibus benedicendis, Ecclesijs altaribusq; consecrâdis, &c. 3. Administratio temporalium: quæ versatur in iurisdictione omnimoda, tam meri, quàm mixti imperij exercendi, atque etiam in actibus quibusdam extrajudicialibus, putà, in quavis alienandi specie, in concedendo ad formam, census, redditus, & pensiones exigendo, Rebus. in praxi for. tit. de vica. Episcop. fol. 59.

### QVÆSTIO.

*An Vicarius mandatam, vel ordinariam iurisdictionem habeat?*

Hinc quæritur: an vicarius iurisdictionem ordinariam habeat, vel delegatam? Videtur quod delegatam. Quia alieno nomine exercet iurisdictionem. Sed contrarium verius, quia vicarius decretum alienationibus minorum, & emancipationibus, dare, & omnia facere potest, quæ pertinent ad iurisdictionem ordinariam, l. 2. C. de offic. eius, qui vi. sed hæc, cum causæ cognitionem requirant, delegari non possunt, l. nec quicumquam, §. 1. ff. de offic. procons. ergo ex his patet, vicarium iurisdictionem ordinariam habere, iurisdictionemque Episcopi, & vicarij esse eandem, c. 2. de consuet. in 6. Vnde appellatio à vi-

à vicario ad Episcopum, qui vicarium cōstituit, non instituitur; cū hoc modo ad eundem appellaretur, à quo appellatur; sed ad Archiepiscopum rectā dirigitur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Vicarius consensu Episcopi constitutus, per constituentem vel rectorem, eiusq; successorem, non potest remoueri, portioneq; sua fraudari, nisi aliqua culpa meritus sit, c. 3. extr. eod.*

*Idem pluribus Ecclesiis vicarius perpetuus eodē tempore esse non potest: Et qui, dum alicuius esset vicarius perpetuus in diuinis, beneficium curatum postea est adeptus, amplius vicarius esse nō permittitur, c. penult. eod.*

*Clerici in presbyteratu, vel alijs inferioribus ordinibus constituti in vicariatibus Ecclesiarum, quos adepti sunt alios sibi substituere non possunt, c. clericos, extra eod.*

*Vicarius iurisdictionem ordinariam, non delegatam ab Episcopo habet: ergo appellatio à vicario, non ad Episcopum constituentem, sed ad Archiepiscopum legitime instituitur.*

*Quilibet regulariter debet in persona propria deservire, c. si laicus, dist. 31.*

*Non debet percipere beneficium, qui negligit officium, c. diuersis, extr. de cler. coniug.*

*Non est ferendus, qui lucrum amplectitur, & onus ei annexum subire contemnit, Hostiens. §. & an possit, eod.*

LIBER PRIMVS. 133  
DE OFFICIO ET POTESTATE  
Iudicis Delegati.

*Titulus XXIX.*

Continuatio.

**E**st & Delegati iudicis officium, ab Ordinario, vel Delegato Pontificis, mandatas sibi iudiciales causas cognoscere, & definire, siq; vice Superioris cognitionem de his habere, vel nolentis, vel non valentis iuste subire.

*Quid Delegatio?*

Delegatio est, vnius causæ, vel plurium, vel vniuersitatis causarum iudicialiter cognoscendarum & terminandarum ab Ordinario, vel Delegato Papæ Inferiori facta commissio, c. per litteras, c. si pro debilitate, extr. eod.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens est, consensus & voluntas Ordinarij & Delegati Papæ, accedente cōsensu eius, cui delegatur, possunt enim Ordinarius & Delegatus Papæ causas iudiciales, per Delegationem, alijs committere: Delegatus autem Ordinarij nullo modo, nisi delegetur causarum vniuersitas, c. significasti, c. in litteris, extr. eod. & l. cum prætor, ff. de iudicijs.

*Quod Subiectum?*

Subiectum Delegationis sunt, delegans & delegatus. Delegans quis sit? dixi. Quod ad Delegatum attinet, requiritur, vt sit liber homo, masculus, legitimæ ætatis, ingenio & iudicio præditus,

I 3 prou-

providus, peritus, & persona Ecclesiastica, quæ jurisdictioni delegatis subsit, quia, qui de iurisdictione delegantis non est, inuitus dari nõ potest. distingue tamen circa Ecclesiasticam personam. Aut delegatio fit ab Episcopo, aut à Pontifice, vel eius Legato: si ab Episcopo simplex clericus, modò peritus, ætatisq; legitimæ sit, delegatus iudex esse potest, ætas legitima hoc casu 20. annorũ censetur, licet, si in minorẽ 18. annorũ consenserint partes, vel cū dederit Princeps, delegatio teneat, cap. cū vigesimum, extra. eod. Quòd si à Papa, vel eius Legato delegetur, exigitur, vt aliqua indignitate, vel personatu constitutus, aut saltem Ecclesiæ alicuius cathedralis canonicus sit, c. statutũ, ver. sancimus, & ver. sedis Apostolicæ, & ibi glos. extr. eod. Hinc est, quòd principalis Officialis Episcopi, & religiosus conuentualem obtinens prioratum, à sede Apostolica, & eius Legato delegari possunt, licet Officialis foraneus, aut religiosus monasterij sui Prior claustralis, nõ possit, Clemen. 2. de rescript.

*Qui delegari prohibentur?*

Ex quibus patet, quibus delegari prohibitum sit. Quidam enim lege impediuntur, ne delegati iudices fiant: quidam naturã: quidam moribus. Naturã, vt surdus, mutus, perpetuò furiosus & impubes; quia animi iudicio carent, c. cū vigesimum, extra. eod. c. iudices, 11. quæst. 1. c. neque furiosus, 32. q. 7. lege prohibetur is, qui senatu motus est, & omnes infames, cap. licet, extra. de test. Moribus, sceminæ & serui. Non, quia nõ habent

habent iudicium, sed quia receptū est, ne ciuilibus officijs fungantur, c. ad probandum, extr. de sententijs, c. mulier, 33. quæst. 5. c. tria, 3. quæst. 7.

*Quod Obiectum?*

Obiectum sunt, omnia negotia Ordinis, & iurisdictionis. Si delegatio fiat in ijs, quæ sunt Ordinis, requiritur, secundum Hostiens. in §. quæ delegari possunt, eod. vt is, cui demandatur, habeat ordinem competentē, c. pontifices, 7. quæst. 1. c. aqua, extr. de consec. Eccles. c. quod ad translationem, extr. de tempo. ord. in ijs autem, quæ sunt iurisdictionis, principium, medium, vel finis causæ, delegari potest, c. super quæstionum, §. intentionis, extr. eod. Principium, vt si citatio, vel litis cōtestatio delegetur, c. pastoralis, extr. eod. & c. super quæstionum, §. 1. extr. eod. Medium: quod dupliciter contingit, vel delegatur aliquis certus articulus, putà, receptio & examinatio testium, vel simile quid, vel medium, habens causæ cognitionem annexam, putà, committitur totius causæ examinatio. à tempore litis contestatione vsque ad sententiam. & priori casu, delegatus non videtur iudex, quia iurisdictionem per commissionem non consequitur: posteriori autem est iudex, c. cū t, e consulente, & d. c. super quæstionum, §. nos autem, & §. intentionis, extr. eod. Finis etiam bifariam delegari potest: aut diffinitiuam sententiam tantum, reseruata executione, & hic iudex est, c. quærenti, extr. eod. aut executio mera & pura, publicata sententia, per alium, & is iudex non est, d. c. super quæstionum, §. verum, extr. eod.



*An iudex Ordinarius, ea, quæ meri & mixti imperij sunt, delegare possit?*

An autem iudex Ordinarius ea, quæ meri vel mixti imperij sunt, delegare possit? videtur quod non, l. 1. 2. & 3. ff. de off. eius cui mandata est iuris, & l. ea quæ sunt, ff. ad Municipalem. Sed iure Canonico, cum Episcopus temporalem iurisdictionem habeat, & potestatem meri & mixti imperij: neque ea per seipsum exercere possit, infr. ne cler. vel monach. §. quæ sunt, vers. Episcopus. horum exercitium alteri mandare debet, 23. quæst. illud, c. in Archiepiscopum, extr. de raptoribus.

*Quæ Forma?*

Forma Delegationis est, ipsius commissionis tenor: qui iuxta causarum, clausularum, & personarum conditionem, & qualitatem, varius esse potest. Siquidem, aut totum negotium, vel principium, vel medium, vel finis causæ controuersæ, vni, vel pluribus, cum adiectione clausulæ, (quod si non omnes,) vel duobus, cum clausula (quod si ambo,) vel cum clausula (appellatione remota, &c.) vel ad certum tempus, vel in certo loco, committitur. Quod si in literis certa forma præscripta, vel clausula adiecta non fuerit, iuris forma seruatur, c. ex parte, & d. c. super quæstionum, extr. eod.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis est, administratio iustitiæ: ne ipsa per Ordinarium, si is alijs negotijs distentus  
causæ

causæ cognitioni incumbere non possit, differatur, vel penitus negligatur.

*Qui effectus Delegationis?*

Effectus est, translatio iurisdictionis & potestatis, de controuersis causis cognoscendi, easque sententia diffinitiuam dirimendi, & secundum iuris formam executionem faciendi, c. super quaestionum, extr. eod. Sciendum tamen est: si non vni, sed duobus, tribus, vel pluribus, negotium definiendum committitur, simpliciter, absque clausula, (quod vnus vel alius ex ipsis, sine alijs, vel sub delegatione eorum procedere in delegata causæ cognitione non possunt,) & si processerint sententiamque tulerint, erit sententia prolata ipso iure nulla, c. cum causa, extr. eod. Dixi sine aliorum sub delegatione. Quia illi, qui impediti sunt, loco suo alios subdelegare possunt, quos si collegæ non admiserint, processerintque, processus irritus fiet, c. quamuis, Abb. in c. coram, extr. eod. Vel si vnus ex Delegatis, rebus humanis eximatur, vel grauem infamiam incurrat, vel, propter suspicionem remoueatur, omnium officium cessabit: quia delegatio, morte vnius expirat, c. vno delegatorum, extr. eod. Et nemo illorum in solidum iudex esse, sed simul omnes iudicandi potestatem accepisse censentur, gl. in d. c. vno, extr. eod. Secus tamen est, si duobus, vel pluribus delegetur, cum clausula: (Quod si non omnes interesse potuerint, reliqui nihilominus exequantur,) vel cum clausula: (si ambo interesse nequiverint, vnus ex illis cognoscat.)

Quibus clausulis, impotentia includit voluntatem:

rem: vt si vnus vel plures interesse non possint, vel non velint; dummodò per certum nūtiū, vel literas de hoc constet; ceteri ad causæ cognitionem procedant, cui adesse nec Subdelegatus impediti Delegati permittitur, nec mors, vel infamia, vel remotio vnus ex delegatis obesse potest, c. cū causa, c. cū super, c. prudētiam, §. 1. & §. adijcimus, extr. eod.

Secundus effectus est, quòd Delegatus Papa in causa sibi commissa iurisdictionem habeat supra Ordinarium, & quemcunque maiorem, c. si nē quia, extr. eod. ita, vt eos aliosque extraneos officium suum impedire enitētes, interdicti, vel suspensionis aliaque censura coercere possit, c. 1. extr. eod. Quod & Subdelegato (cuius constituēdi potestatem Delegatus Papæ habet) conceditur, c. ex literis, extr. eod. c. præterea, eod. possit que suam sententiā executioni mādare infra annum, licet ab alio Delegato sententiam latam, saltem Ordinarius, quam iniustam etiam sciat, exequatur, c. quærenti, & c. pastoralis, §. quia, extr. eod.

### *Quæ Cognata?*

Cognata sunt, mandatum, vicariatus, rescriptum.

### *Quæ Pugnantia?*

Pugnantia sunt, mors Delegantis, mors Delegati, mors impetrantis rescriptum, mors eius, contra quem impetratum rescriptum est, re integrā, c. significauit, extr. de rescript. & ibi glos. & Dd. c. cæterum, de rescrip. gl. in c. in literis, eod. c. licet eod. 2. Contrarium rescriptum priori impetrato,

petrato, & de eo expressam mentionem faciens, d. c. cæterum, extr. de rescrip. 3. Finitio iurisdictionis Delegati, per sententię executionem, c. in literis, extr. eod. 4. Lapsus diei, ad quam causa, iuxta delegationis formam, finiri debuerat, c. cõsuluit, extr. eod. nisi à partibus prorogata sit, c. de causis, extr. eod. 5. Mors vnius ex Delegatis causa pluribus commissa, absq; clausula (quod si non omnes) c. vno Delegatorũ, extr. eod. 6. Excessus finium mandati, c. cum dilecta, extr. de rescript. 7. Formę à delegante vel iure neglectus, c. ex parte tua, extr. eod. 8. Recusatio Iudicis delegati, ob suspicionem, quod quibus modis contingat, recenset Hostien. tit. de recusa. iudi. deleg. §. quæ sint iustę causæ, & c. 9. Reuocatio delegationis re integra, l. iudicatum solui, ff. de iud. c. quamuis, eod. in 6. 10. Super causa controuersa & delegata, facta trāsactio, compositio, acceptilatio, pactum de non petendo, & similia, quibus liti finis imponitur per Hosti. hic. omnib. n. his commemoratis modis delegatio tollitur.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Delegatus iudex hoc diligenter obseruare debet, ne fines mandati egrediatur, c. venerabile, extr. eod. & c. cum dilecta, de rescrip. si nulla in mandato forma prescripta est, iuris formam seruabit Delegatus, d. c. ex parte, extr. eod.*

*Integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur, c. prudentiam, extr. eod.*

*Cui mandata est iurisdictio, omnia ea, sine quibus iurisdictio expediri non potest, mandata esse intelligitur, c. sufficiens, extr. eod.*

*Cum*

Cum clausula est contra substantiam commissionis, non tenet commissio, quo ad sententiam, c. aliquando solet, 3. quest. 2.

Clerici non possunt prorogare iurisdictionem iudicium laici, etiam consentiente Episcopo, sed nec iudicis Ecclesiastici, non sui ordinarij, sine licentia sui Episcopi, c. si diligenti, extr. de foro competen.

In foro pœnitentiali nullus habet potestatem prorogandi & absoluendi, nisi de consensu proprij Prælati, Inno. c. de causis, eod.

Solemnitates in fauorem partium introductæ de consensu partium remitti possunt: secus in his, quæ pro publica utilitate introductæ sunt, 3. quest. 5. c. accusatores, & 2. 3. dist. c. quorundam.

Prohibito vno, prohibetur omne id, per quod venitur ad illud, c. præterea, extr. eod.

Quid iuris est in vno connexorum, idem in altero, c. translato, extr. de constitut. c. si quis ob. 1. quest. 3.

Ordinarius etiam si sciat iniustam sententiam, necesse tamen habet executioni mandare, c. pastoralis, §. quia verò, extr. eod.

Ordinarius, vel Delegatus sententiam latam reuocare amplius non possunt, c. in literis, extr. eod.

Verba cum effectu sunt accipienda, c. relatum, extr. de cler. non resid.

Illum, in quem consensum, recusare nõ possunt, c. super questionum, extr. eod.

Infames sunt hæretici, fures, sacrilegi, capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, & qui se Episcopis opponunt, incestuosi, homicidæ, periuri, raptores,

ves, malefici, venefici, adulteri, anathematizati. & omnes, quos Ecclesiastica & ciuiles leges infames pronuntiant: probantur hac, c. infames, 6. quæst. 1. c. hi qui Episcopos, 3. quæst. 4.

Delegatus Papæ potestatem habet non solum in partes, sed etiam in alios, qui suam iurisdictionem impediunt, etiam si se multo sint superiores, c. 1. & c. sanè, extr. eod.

Delegatus Papæ, nisi malitiosè se exoneret, subdelegatum, ad suscipiendam commissam causam, compellit: in coactione tamen, dignitatis & persona rationem habere debet, c. pastoralis, extr. eod.

Tres sunt casus, in quibus suspicionis causa, coram arbitris non tractatur. 1. cum recusatur vnus ex Delegatis datis cum clausula: (quod si non omnes, & c.) 2. si Delegatus Episcopi. 3. cum Officialis recusatur, quia coram Episcopo causa suspicionis agitur, c. si cõtra, in 6. eod.

Delegatus Papæ subdelegare potest, licet datus sit ex officio, vel de partium consensu, vel cum clausula: (quod si non omnes, & c.) c. quoniam Apost. extr. eod.

Delegatus Papæ sententiam suam vsq; ad integrum annum exequi potest: secus autem in Delegato ab Ordinario, c. querenti, extr. eod. c. significasti, eod.

Si causa committitur intra certum diem decidenda, nisi partes prorogant, per lapsum diei expirat iurisdictionis, c. de causis, extr. eod.

Per simplicem commissionem causa, potest Delegatus citare, contumacem punire, & reliqua facere, que spectant ad causam, c. præterea, extr. eod.

Si causa

Si causa pluribus simpliciter est commissa, quilibet subdelegare potest, c. quamuis, eod. secus si adiecta clausula: (quod si non omnes, & c.) vel, (quod si ambo,) c. prudentiam, & c. cum causa, iuncto c. cum super, extr. eod.

Post diffinitivam executioni mandatam expirat Delegati iurisdictio, c. in literis, eod. Morte Delegati non expirat iurisdictio Delegati, coram quo lis erat. contestata, c. relatum, eod.

Si primus impetrauit primam dignitatem in Ecclesia vacaturam, secundus impetrauit certam dignitatem illius Ecclesie, cum vacaret, & illa postmodum vacat, debetur primo & non secundo, c. ex parte, eod.

Delegatio facta dignitatis non expresso nomine proprio transit ad successorem, c. quoniam, eod.

Si causa simpliciter delegata sit pluribus, reliqui omnes, absque vno aliquo, sententiam ferre non possunt, nisi delegationis clausula (quod si non omnes, & c.) adiecta sit, c. causam, c. cum causa, extr. eod.

Si iurisdictio Delegati expiret, in termino peremptorio, quem partibus assignavit, post congruam horam peremptorij, iudex non expectabit contumacem: si non expirat, potest expectare in diem alteram, & iterum citare, c. consuluit, extr. eod.

Iurisdictio Delegati, re integra, morte mandantis expirat, c. licet, eod.

Arbitri electi ad causam recusationis assignant partibus terminum, ad probandum causam suspensionis: & iudex recusatus compellit arbitros ad causam finiendam, c. suspensionis, eod.

DISCORD. IVRIS CANO.  
nici & ciuilis.

## I.

Iure Canonum, ad perpetuandam iurisdictionem Delegati, sufficit citatio, c. gratum, extr. eod. c. anteriorum, 2. quæst. 6. Sed iure ciuili & citatio, & litis contestatio perpetuitatem iurisdictionis inducit in Auth. deleg. §. omnes.

## II.

Iure Canonum Delegatus à summo Pontifice, causa media alteri subdelegare, quamuis sibi sententiam reseruet, potest. At leges ciuiles neminem ab Imperatore Delegatum, permittunt causa media, nisi cum sententia etiam ferenda potestate, alij demadare, c. super questionum, in prin. vbi Dd eod. tit. autem, ad hac, vbi Iason & alij, C. de iudic.

## III.

Iure ciuili, ea, quæ sunt meri imperij, delegari non possunt, l. 1. 2. & 3. ff. de off. eius, cui mand. est iurisd. l. ea quæ, ff. ad Municipal. Sed iure Canonum Episcopus merum & mixtum imperium habens ea delegare iubetur, cum ipse per seipsum hac exercere non possit, 23. quæst. 4. c. illud, & c. archiepiscopum, extr. de Rapto.

DE



*Titulus XXX.*

Continuatio.

**C**um Summus Pontifex quandoque in provincijs, ea, quæ Apostolici muneris sunt, administrandi necessitatem imminere videat: ne tamen, ob distantiam loci, ipse, vel Ordinarius eò loci constitutus; eò quòd ipsi absque singulari Pontificis permisso talia tractare non liceat, còmodè expedire possit: mittit Legatos, qui in star Delegatorum vicem suam in his gerant.

*Quid est Legatio?*

Legatio est, ardui cuiusdam negotij, quod Põtificis auctoritatem desiderat, in prouincia administrandi cuidam clerico facta commissio, c. quòd translationem, extr. eod.

*Quotuplex Legatio?*

Legatio triplex est: nam quidam de laterani Summi Pontificis sunt, & de collegio Cardinalium, c. decreto, c. si quis Episcopus, 2. quæst. 6. & Specula. tit. de leg. vers. superest, num. 3. Quidam missi & constituti Legati dicuntur, Cardinalibus multò inferiores, Speculator dicto loco, & c. penul. extr. eod. Tertio, sunt quidam, qui Legationis officium alij dignitati annexum habent, vnde & Legati nati appellatur, c. 1. extr. de off. leg. in 6.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens legationis est, auctoritas Summi

mi Pontificis : qui solus Legatos rebus arduis expediendis constituit.

*Quod Subiectum?*

Subiectum est, vtraq; persona, & constituen-  
tis Papæ, &, in Legatum constituti, clerici.

*Quæ Materia?*

Omnia negotia supremi Pontificis authorita-  
tem requirentia: quæ nec ordinarius iudex, abs-  
que speciali Pontificis mandato exequi potest;  
licet quandoque & Legatis, ea, quæ Ordinarius  
expedire possit, exercenda committantur.

*Quæ Forma?*

Forma consideratur circa constituendi mo-  
dum. Quod variè fit: vel enim ratione certi ali-  
cuius negotij, ad certum tempus, in certa aliqua  
Prouincia: vel indefinitè & generaliter, ad om-  
nia negotia, quæ ad Pontificis administrationè  
pertinent, gerenda constituitur Legatus, c. quòd  
translationem, c. studuisti, &, c. excommunica-  
tis, extr. eod.

*Qui Effectus & Finis?*

Effectus & finis considerantur, circa officij &  
potestatis demàdata, exercitiùm: quod confi-  
stit in absoluendo, conferendis beneficijs, co-  
gnitione causarum, statutis etiam, post deposti-  
tum officium, valituris, in prouinciá commissa  
faciendis, confirmàda sententia per Pontificem  
lata, eaq; executioni mandanda. Primò enim  
Legatorum officium est, causas audire eorum,  
qui in prouincijs suis, ad se accedunt, & de que-  
relis ad se delatis cognoscere, & Cõsiliùm voca-

K

re, c. l.

re, cap. 1. vbi Imm. col. 1. & Abb. c. quod translationem, num. 7. extr. eod. Secundò, statuta rationabilia, etiam, post depositum officium, valitura condere, c. fin. & ibi Abb. extr. eod. Tertiò, potest Legatus de latere suæ prouinciæ beneficia suæ oblationi referuare: quæ tamen referuationes suæ legationis autoritate factæ, post legationis depositum officium, & processus super eis habiti, inanes erunt, vt sunt decreta super hisce referuationibus interposita, denuntiationes, inhibitiones per eum, vel per executores factæ, si tamen beneficij collatio celebrata adhuc non fuerit, c. præsentis, eod. in 6. & ibi gloss. Quarto, potest excommunicatos, propter manuum iniectiõnem in clericos, absolueret, c. nisi specialis, c. quòd translationem, extr. eod. quod Legato, qui non est de latere, non conceditur, c. excommunicatis, eod. Quintò, potest Legatus de latere conferre beneficiũ vacans, licet illud spectet ad præsentationem alicuius clerici, c. dilectus, extr. eod. c. 1. eod. in 6. Sed non illud beneficium, quod in laici est patronatu, quamuis tunc possit, cum sub patronatu clerici est, ratione Ecclesiæ, quam clericus ipse habet, d. c. dilectus, & ibi gl. & Abb. eod. Sextò possunt cuiuslibet generis Legati vires suas alijs subdelegare: quorum tamen iurisdictione vnà cum Legati officio, nisi citatio, qua Legati vel Subdelegati iurisdictione perpetuatur, præcesserit, extinguetur, c. fin. vbi Abb. extr. eod. Notandum tamen, quòd Legatus ex generali legatione non possit transferre Episcopos, vel vnã Ecclesiam cathedralem alteri subijcere, & alteri ius primatiæ concedere, vel duos Episcopatus

tus vnire, vel vnum diuidere. Quia licet Legatò in vna prouincia consistenti generalis legatio cõmissa sit, ad ea tamen, sine speciali mandato, nõ debet extendere manus, quæ in signum priuilegij singularis sunt tantùm Summo Pontifici reseruata, c. studuisti, c. nisi specialis, c. quòd translationem, extr. eod. Quare nec commissionem alij specialiter factam impedire potest, quia mādatum speciale derogat generali, d. c. studuisti, extr. eod.

### *Quæ Cognata?*

Cognata sunt, proconsulātus, præfectura, c. legatos, eod. tit. in 6. mandatum, rescriptum, delegatio, vicariatus, &c.

### *Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, iurisdictio, dignitas.

### *Quæ Pugnantia?*

Pugnantia, lapsus temporis, si ad cẽrtum tempus datus sit, c. de causis, extr. de off. deleg. 2. Reuocatio Pontificis, c. vlt. &, c. excommunicatis, extr. eod. 3. Finitio iurisdictionis, p̄r relationem factam Pontifici, c. licet, extr. eod. 4. Mors Legati & eius, qui ipsum misit, re integra, c. mandata, extr. de præsumpt. Quia his modis Legati officium finitur.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Cùm speciale mandatum deroget generali, Legatus generalis commissionem alij specialiter factam, impedire non potest, c. studuisti, extr. eod.*

K 2

Ex quò

Ex quo Legatus retulit causam Papæ, illius desinit esse iudex, c. licet, extr. eod.

Citatione perpetuatur Delegati iurisdictionio, c. fin. extra, eod.

Generalis commissio ad ea, quæ in signum privilegij singularis, sunt Summo Pontifici reservata, non extenditur, c. quodd translationem, extr. eod.

Legatus plurium locorum iurisdictionem habens, in quolibet iurisdictionem suam exercere potest, ita quodd facta vnius loci in alio explicare possit, c. nouit ille, extra, eod.

Sicuti iudex secularis cogitur sententiam per iudicem Ecclesiasticum latam executioni mandare: ita iudex Ecclesiasticus sententiam iudicis secularis exequi tenetur, arg. c. cum ad verum, 96 dist. nunquam tamen ad petitionem secularis excommunicabit, nisi canonica monitione præmissa, c. sacro, extr. de senten. excom.

Laicus patronus non debet se intromittere rebus Ecclesie, nisi quoad defensionem, c. 1. 2. 3. & 4. dist. 10.

Sententia lata contraria primæ, non valet, §. diffinitima, 2. q. 6.

Excommunicatio est mucro Episcopalis, c. corripitur, 24. q. 3. & c. 1. 16. q. 2.

## DE OFFICIO ORDINARIII iudicis.

### Titulus XXXI.

Continuatio.

**Q**ui nō ab inferiore quodam prælato iurisdictionem ordinariam habente, sed lege aliqua,

qua, vel consuetudine confirmatus per se iurisdictioni præest, vel à Principe aliqua potestate præditus est, iurisdictionem ordinariam habere dicitur, l. qui neque, ff. de iud.

*Quid iurisdictionis Ordinaria?*

Ordinaria iurisdictionis est, potestas vniuersaliter exercendæ iurisdictionis inter subditos, proprio iure, vel principis beneficio competentis, c. transmissam, extr. de elect. l. more maiorum, l. & qui vniuersaliter, ff. de iurisd. om. iud.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens, 1. est, consuetudo, vel lex, c. cum contingat, extr. de foro comp. & c. cum ab ecclesiarum, extr. eod. l. qui neque, ff. de iud. 2. consensus principis tam Ecclesiastici, quam secularis. Sicut enim Põtifex Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Ordinarios facit: ita etiam Imperator, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & similes, ordinarios cõstituit, c. in nouo, dist. 21. 3. vniuersitas, per electionem, c. decernimus, extr. de iud. c. cum in Ecclesijs, ext. de maior. & obedient. Hinc dicitur ordinaria iurisdictionis, quæ à Pontifice, Imperatore, Rege, lege, vel consuetudine, aut vniuersitate, & non ab alio conceditur, Panorm. in c. cum contingat, extr. de foro comp. & Felinus, ibidem.

*Quæ Materia in qua? vel Subiectum?*

Materia in qua, vel subiectum, in quo iurisdictionis subsistit, est, persona quæ territorium habet id est, exercitium iurisdictionis. Quia per territorium denotatur iurisdictionis exercitium, Clem. Romani, §. sanè, extr. de elect. gl. in l. quæ-

cunque, C. de fundis limitrophis. Exercet autem Princeps non tantum iurisdictionem in loco, vbi proprietas terræ ad ipsum spectat, verum si tantum potestatem in certas personas eo loci habeat. propter illas enim territorium habere videtur, Ioan. And. in d. c. cum contingat, & Felin. in c. Rodolphus, vers. territorio, extr. de rescrip. cum territorium dicatur, eò quod magistratus eius loci intra eos fines terrendi. i. submouendi ius habeat, gl. in c. fin. de constitut. lib. 6. Innocen. in c. cum ad sedem, extr. de restit. spoliat. Ex his patet, iurisdictionem potius personæ, quam territorio, pro loco, vbi iurdictio exercetur, accepto, coherere, Chassa. fol. 91. Personæ aut, quæ iurisdictioni præsumunt iure pontificio sunt, Legati Apostolici, Patriarchæ, Primates, Metropolitanæ, Episcopi, principalis Officialis, & quiuis collegiata Ecclesiæ præfectus. Quamuis Episcopo inferior, eius subditus sit, c. nullus, 7. q. 2. c. cum ab Ecclesiarum, in prin. glos. vbi Abb. extr. eod. & idem Abb. in c. 2. eod.

*Quæ Materia circa quam? vel  
Obiectum?*

Omnia ea, quæ iurisdictionis esse dicuntur, vt sunt, institutio, destitutio, correctio, reformatio, causarum omnium ad forum Ecclesiasticum, de iure spectantium, cognitio, Ecclesiasticarum censurarum promulgatio: quæ Honorius III. in cap. conquerente, extr. eod. recenset.

*Quæ Forma?*

Forma varia est. Nam aut de plano, & absque iudicij figura iurdictio exercetur: aut solenni iudiciorum

diciorū forma obseruata; quod quidē illi, qui iurisdictioni p̄est, pro causā qualitate obseruare licet. Forma aut̄ probandæ iurisdictionis varia quoq; est. Nam per tacitas, vel expressas assertiones fit: vel per vulgi opinionē: vel per iudicū sententias: vel per captionem reddituum, custodum appositionem, & exercitium iurisdictionis, de quibus vide Chassa. fol. 91. in consuet. Burgun.

*Quis Effectus & Finis?*

Potestas exercēdi ea, quæ ad legē iurisdictionis spectant: licet ordinario iudici, ratione dignitatis, in qua constitutus est, plenior potestas in sua diocesi permittatur. Vnde ius Episcopale, vel pastoralis potestas, in tria membra diduci dicitur. Quædā. n. ad Episcopū pertinent, iure Ordinis: vt, Ecclesiæ, & altarium consecratio, virginū benedictio, clericorū ordinatio. Quædā lege iurisdictionis: vt, corrigēdi, cōferendi, excōmunicandi, instituendi, de causis ad forū Ecclesiasticum, de iure spectantib. cognoscendi, examinandiq; potestas. Quædā lege diocesana: vt, ius exigendī procurationē, cathedralicū siue synodaticū, ius exigendī & percipiēdi census, & decimas, vide c. conquerēte, & Abb. in c. dilectus, extr. eod. & c. 1. 10. q. 3. Est & actio confessoria & negatoria effectus iurisdictionis, quæ ex iurisdictione producta ad defensionē eius, iudici ordinario cōpetit, Innocen. in d. c. conquerēte, extr. eod. Et hodie pœna fractæ pacis plectitur, qui alienam iurisdictionem violentiā dolosē adhibita, violat, Henning. in caus. de territor. Sax. libr. 2. art. 71. Finis etiam est, tuitio subditorum, quam si non iustē curet, diuina vindicta illi erit reformidanda.



quoniam, vt dicitur in c. 1. extr. de off. Archidiaconi, sanguis subditorū à Deo, coram quo tenetur de omnibus rationē reddere, de manibus suis in die iudicij requiretur.

A X I O M A T A.

*Licet in genere, quod non licet in specie, c. si sacerdos, extr. eod.*

*Lex diocæsana, & lex iurisdictionis, differūt: vnde res iudicata in vna non obstat agenti in alia, c. dilectus, extr. eod.*

*Episcopi, qui per se non possunt, tenentur assumere idoneos coadiutores in diuinis ministerijs, c. inter cetera, extr. eod.*

*Ad hoc, vt habeat iurisdictionem Prælatus in clericos, vel in Ecclesijs electus, oportet quod & vniuersitas, qua eligit, sit clericorum, vel religiosorum, vel aliàs idē Prælatus iurisdictionem de Ecclesiastico Prælato recipiat, & quod electus sit clericus vel religiosus: cum aliter non dare, nec recipere possunt spirituales, scilicet, excommunicandi, interdicendi, & consimilium, iurisdictionem, c. contingit, extr. de arbitris.*

DE OFFICIO IUDICIS.

Titulus XXXII.

Continuatio.

**C**Um iurisdictiones sint variæ, vario etiã iudicis officio administrantur: merum quidem & mixtum imperium nobili, simplex verò iurdictio mercenario, iudicis officio expeditur.

Quid

*Quid Iudicis officium?*

Iudicis officium est, potestas, quæ ad dirimendas lites, tollendaquæ grauamina quomodolibet secundum æquitatem exercetur, vt per hoc religionis, & Reipublicæ statui publicè & priuatim consulatur.

*Quotuplex Iudicis officium? Et quæ causa Efficiens?*

Officium Iudicis duplex est, nobile & mercenarium. Vtriusque causa efficiens est, iuris, vel cõsuetudinis, authoritas, vel cõstitutio Principis, vel eius, qui ius dandi iudicem habet.

*Quod Subiectum?*

Subiectum est, quilibet, nisi natura, lege, vel moribus prohibeatur.

*Quod nobile Iudicis officium?*

Nobile iudicis officium est, quod iudex sua, id est, iuris authoritate exercet, etiãsi nulla proponatur actio, & interdum nomine proprio, nemine petente.

*Quod obiectum nobilis officij Iudicis?*

Obiectum huius est, inquisitio, & punitio sceleratorum, in integrum restitutio minorum, facultas concedendi veniam ætatis, constituendi tutores, vel curatores adultis, restitutio natalium, restitutio famæ, honoris, creatio notariorum, executio sententiæ diffinitiuæ, & omnia alia, in quibus Iudex impertit officium suum alicui priuatim imploranti, aduersus eum, cum quo de stricto iure nullam habet actionem: sed

134 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
qui interim ex sola æquitate, & quod dicitur, de  
bono & æquo ei obnoxius est: vel quotiescunq;  
quis petit à iudice quicquã, in quo alterius per-  
sonæ non vertitur consideratio, vt notat Zas. in  
l. 1. ff. de iuris. omnium iud.

*Quid Mercenarium?*

Mercenarium iudicis officium est, quod actio-  
ni propositæ cohæret, eiq; deseruit.

*Quod Obiectum mercenarij?*

Obiectum huius sunt, omnia interloquuto-  
ria, quib. cœpto iudicio iudex aliquid præcipit,  
vetat, vel permittit, l. ædiles, §. item sciendum,  
ff. de ædilit. edicto. Quinimò, cognita iam cõtro-  
uersia, illud iudicis officium deseruit etiam cau-  
sæ definiendæ. Nam omnes sententias, iudex ex  
officio, pronuntiare dicitur, tam super re con-  
trouersa, quã super fructibus, damnis, sumpti-  
bus litis, alijsq;uè accessionibus.

*QVÆSTIO.*

*An iudex secundum allegata, contra  
conscientiam iudicare debeat?*

Quomodò autem in officio suo se gerere: an  
secundum allegata & probata, & ex actis contra  
conscientiam iudicem iudicare oporteat? qua-  
estio est, multis temporibus, varijs Doctorum ra-  
tionibus & opinionibus in diuersas partes agi-  
tata. Tu distingue: Aut agitur de causa ciuili, &  
iudex propriam conscientiam in iudicando se-  
qui non debet, sed propter publicam iudiciorum  
authoritatẽ, secundum allegatas à partibus pro-  
bationes

bationes sententiam ferre, l. illicitas, §. veritas, ff. de off. præsid. c. pastoralis, §. quia verò, extr. de off. deleg. gl. & Dd. in c. 1. extr. de off. ord. Imò etiam, secundum leges & Canones, postposita conscientia, c. summopere, 11. quæst. 3. c. iudicet ille, 3. quæst. 7. c. si tantum, 6. quæst. 2. l. rem non nouã, C. de iud. Nec obstat, quòd ab alijs affertur, veritatem omnibus rebus præualere: & , propter inquirendam veritatem iudiciorum solennia esse instituta, non vt seruiret iudicijs veritas, c. vnde vi, & , c. veniens, extr. de iureiur. peccareq; eos iudices, qui contra conscientiam iudicant, Eccl. 4. Hisce enim respondetur, nè iudiciorum auctoritas vilescat, non conceditur iudici, neglecta cognitione publica, quæ ex probationibus hinc inde factis elicitur, ex priuata scientia iudicare. Quia secundum allegata & probata iudicando non peccat: cum nõ ex cuiuslibet priuati instructione, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præsentia proponuntur, formare animi sui motum debeat, c. in præsentia, extr. de renuntiat. & , vt publica persona, postpositis proprijs phantasijs, & conscientia, quæ plerunque erronea esse solet, prout facta in iudicio sibi est fides, iudicare, c. placuit, 6. quæst. 2. Si autem de causa criminali agitur rectius faciet, si sequendo conscientiam Reum absoluat, vel in tanta ambiguitate & discrimine rerum deponendo iudicandi officium, causam alteri cognoscendam & definiendam committat, Ioan. And. in add. ad Spec. tit. de

dis. & alleg. aduoc. §.

final.

DE

156 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE MAIORITATE ET  
Obedientia.

*Titulus XXXIII.*

Continuatio:

**D**Ecorum est, cum certi clericorum sint gra-  
dus, ut illi, qui in inferioribus sunt consti-  
tuti, Prælatorum superiorum præminentiam  
& dignitatem debita obedientia revereantur.

*Quid Maioritas?*

Maioritas est, prærogatiua, qua quis cæteris  
paribus vel inferioribus dignior, maioriq[ue] ho-  
nore afficiendus est, c. extr. eod.

*Quæ causæ Maioritatis?*

Causæ esse possunt, prærogatiua Ordinis, co-  
secrationis, dispensationis, prioritas & præemi-  
nentia ordinantis. Ordo enim efficit, ut p[ro]p[ri]et[er]  
presbytero, & presbyter diacono, &c. maior, ho-  
norabilior, & magis reuerendus sit. 2. consecra-  
tio, ut Episcopi, qui consecrant clericos, c. olim,  
dist. 95. 3. dispensatio: vnde Archidiaconus ma-  
ior est Archipresbytero, c. 1. extr. de off. archi-  
presb. 4. prioritas: vnde prior tempore alteri  
præferendus est, c. 1. extr. de parœcijs. 5. præemi-  
nentia ordinantis: quia ordinatus à Superiore  
inter alios eiusdem Ordinis magis est honoran-  
dus, c. per tuas, extr. eod.

*Qui Effectus?*

Effectus maioritatis sunt, 1. quod prior in  
Ordine,

Ordine, etiam in cessione, subscriptione, respon-  
sione, dignitate, vacantium collatione, & eti-  
am in perceptione beneficij præferatur, c. hinc  
igitur, 18. dist. c. episcoporum, dist. 74. & habet  
hoc locum in æqualiter meritis: nam digniores  
etiam post ordinati in electionibus præferuntur,  
c. licet, 8. quæst. 1. Item in his, qui eiusdem sunt or-  
dinis & dignitatis, aliàs secus, c. cõsuluit, dist. 74.

2. Quòd ille, qui maioris dignitatis est in Ec-  
clesia, vel si non est ibi dignitas, qui maioris est  
Ordinis, vel si sunt æqualis Ordinis, ille qui pri-  
ùs ordinatus est, magis sit honorandus, & possit  
nominare, vel solenniter eligere personam in  
Scrutinio, nisi fortè alius de iure consuetudina-  
rio, vel ex priuilegio hoc habeat, c. 1. eod. Simili-  
ter, vacante Ecclesia, Prepositos, vel Abbates, vel  
alios prior vocare debet, & alij ei tenentur inten-  
dere, c. à Subdiacono, dist. 93.

3. Quòd, non obstante absentia vocatorũ, va-  
lebit per præsentès actus celebratus.

4. Quòd ad sacros Ordines promotus in mi-  
noribus ordinibus constituto in electione præfe-  
ratur, c. dydum, extr. de elect.

5. Maior in ordine, licet in Ecclesia posteriùs  
receptus, in loco & portione præferatur, c. statu-  
imus, extr. eod.

6. Quòd alij omnes huic, ob maioritatem, o-  
bedientiam præstare teneantur, toto tit. extr.  
eod.

### *Quid Obedientia?*

Obedientia est, subiectio, quam inferior cle-  
ricus superiori, iuxta juris statutiq̃ue normam,  
vel

138 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
vel manu data, vel præstito iuramento promittit, c. cum in Ecclesijs, & c. legebatur, extr. de maior. & obed. c. dilecti filij, eod.

### *Quæ forma Obedientiæ?*

Forma obedientiæ, quam præstant Episcopi Metropolitanis, habetur in c. dilecti filij, extr. eod. De forma Abbatis, c. ne Dei Ecclesiam, extr. de Symon. Quomodo Canonici fidelitatem iurant, habetur c. cum inter, extr. de sententijs, & re iud.

### *Quod Obiectum?*

Obiectum obedientiæ est, præstatio reverentiæ, obsequij, honestorumque officiorum, c. statuimus, extr. eod. c. non oportet, dist. 93.

### *Quæ Pugnantia?*

Pugnantia sunt, inobediencia, proteruitas, & pertinacia clerici, in quem poena infamiæ, excommunicationis, vel depositionis, & expulsiõnis Canonibus statuta est, c. illud dominus, c. cum in Ecclesijs, c. si quis venerit, extr. eod.

### AXIOMATA.

*Sede Episcopali vacante, iurisdictio potestasque ordinaria, quæ Episcopo competebat, omnis, tam spirituum, quam temporalium administratio interim ad Capitulum spectat, c. cum olim, c. his, quæ, extr. eod.*

*Primus Ordinatus ceteris paribus prior & maior habendus est, c. 1. extr. eod.*

*Qui maior est ordine, licet in Ecclesia posteriori receptus, in loco & portione præfertur, c. statuimus, extr.*

DE

LIBER PRIMVS. 159  
DE TREUGA ET  
Pace.

*Titulus XXXIII.*

Continuatio.

**N**ihil magis Prælatos Ecclesiæ commendat, quàm si prouidètia studioque efficiant, vt subditorum salus, non seditionibus, contentionibus, vel iniuria hostium conturbata periclitetur, sed in tuto summatq; tranquillitate sit collocata. Quod sanè fiet, si conuentione, de pace seruanda, publicè habita, animi Principum, quasi furore perciti reconcilientur.

*Quid Treuga?*

Treuga est, nondum paccatis turbis discordijsq; personis & rebus ad tempus securitatis promissio facta, & dicitur in l. fœdus & inducię.

*Quotuplex Treuga? Et quid Conventionalis?*

Treuga duplex est, conuentionalis & canonica. Conuentionalis dicitur: quæ ex conuentione recipit formam, sicuti quilibet cōtractus: & hæc hosti Romano seruãda est, c. noli existimare, 23. quæst. 1. & c. innocens, 22. quæst. 4.

*Quid canonica Treuga? & quotuplex?*

Canonica est, vel perpetua, vel temporalis. Perpetua est, concessio securitatis personis priuilegiatis, absque vlllo temporis præfinitione facta: & illa potiuntur clerici, monachi, conuersi, peregrini, & rustici cum animalibus & ministris omnibus rusticanis, dum sunt in agricultura,

tura,



tura, siue eò se cõferant, vel illinc redeant, c. inu-  
uamus, extr. eod. c. si quis, 24. quæst. 3. Habent  
tem hoc securitatis priuilegium rustici, quan-  
diu fuerint in agricultura, sicut milites à ciuili-  
bus oneribus, quamdiu militant, immunitate  
habent, l. fin. C. de rust. mili. Ita etiam clerici tan-  
seculares, quàm religiosi & conuersi, dum in Ec-  
clesijs canonicè regulariter viuunt, gaudent pri-  
uilegio clericali, c. fin. extr. de vita & honest. de

### *Quid Temporalis?*

Temporalis treuga, sunt, inducie, ratione tem-  
poris omnibus communiter concessæ & datæ  
& durat hæc temporalis treuga, à quarta feria  
post occasum solis, vsque ad secundam feriam  
ante ortum solis, feria quinta propter ascensio-  
nem Domini, feria sexta, propter Domini passio-  
nem, die sabatho, quia dies est requiei, die Do-  
minica, propter resurrectionem. Item aduentus  
Domini, vsq; ad octauas Epiphaniæ, & à septuag-  
esima, vsque ad octauas Paschæ, c. extr. eod.

### *Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens est, ius gentium: inde enim be-  
lla, captiuitates, fœdera pacis, induciæ, & posses-  
siones, &c. c. ius gentium, dist. 1. Sed magis pro-  
pinqua cõventionalis treuga est, cõuentio Prin-  
cipum belli, qui quadam iusta causa moti gere-  
do bello, & expeditioni ad tempus renuntiant  
c. 1. extr. eod.

### *Quod Obiectum?*

Obiectum treugæ sunt, expeditiones contem-  
tione

tiones, discordiæ, turbæ, bella, iusta vel iniusta.

*Quid Bellum iustum?*

Bellum iustum est, quod pro defensione propriæ patriæ, & legum paternarum, pace vel iustitia tenenda, instituitur, c. si nulla, 23. quæst. 8. c. noli, 23. quæst. 1.

*Quid iniustum?*

Iniustum bellū, censetur tripliciter. 1. Ratione rei: si nō pro repetendis rebus, sed, ad furta, latrociniaque exercenda, bellum geratur, c. 1. 23. quæst. 2. & quæst. vlt. c. noli. 2. Ratione causæ: vt si voluntariè, non necessariò, ad consequendam pacem, sed ad vindictam & ultionem, pugnetur, ead. quæst. 1. c. noli, & c. quid culpatur, eod. 3. Ratione personæ: vt si quis absque auctoritate Principis, vel persona talis sit, cui non licet sanguinem effundere, nec per se, nec per alium: vt si persona Ecclesiastica bellum instituat, c. 1. quæst. 2. eod. c. ex multa, extr. de voto.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis est, vt in tuto sit Reipublicæ salus, c. 1. extr. eod.

*Qui Effectus?*

Effectus treigæ est, ipsa securitas, quam durante tempore, ad quod induciæ factæ sunt, sub pœna excommunicationis nemo turbare debet, c. 1. extr. eod. c. fin. extr. de trans. c. nulli, 3. quæst. 1. Secundo, est ipsa obligatio naturalis, quæ ex conventionem inter Principes belli celebrata profici-

L scitur:

scitur: qua omnes fidem seruare promissis conuentis tenentur.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, transactiones, iuris gentium conuentiones, & pax. Differt pax à treuga, quòd treuga ad certum tempus suspendat discordias, pax autem penitus finem imponat, Host. hîc.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, violationes, fidei promissa non obseruatio, calliditas, deceptio, iniuriæ, oppressio.

DE PACTIS.

Titulus XXXV.

Continuatio.

Conuentionum species, aut ex publica, aut priuata causa, proficisci docet Vlp. lib. 4. ad Edictum. Vnde publica conuentio, quæ per Principem celebratur, aut quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur, de qua superiori titulo: & legitima conuentio, quæ lege aliqua, vel Canone, qui legis loco est, confirmatur, l. 5. & l. 6. ff. eod. quæ non tantum ad agendum, verum etiam excipiendum proficit, Actoris quæ experiuntis intentio hac exceptione pacti per Reum in iudicio conuentum obiecta perimitur, c. 1. extr. eod.

*Quid Pactum?*

Pactum est, duorum vel pluriû, de rebus corporalibus vel incorporalibus hominum commercio

mercio non exemptis, seu negotio contrahēdo,  
honestā & licita conuentio.

*Vnde Pactum dicitur?*

Dicitur à pactione, vt Vlp. ait. Vnde pacis no-  
men descendit: pactum enim est effectus pactio-  
nis, & quasi obligatio, quæ ex pactione, conuen-  
tione, vel paciscēdi actu, nascitur, l. 1. ff. de pactis.

*Quotuplicia sunt Pacta? Et quæ  
publica?*

Duplicia in genere, publica scilicet, & priua-  
ta. Publica sunt, quæ per Principem, Summum  
Pontificem, Archiepiscopum, Clerum, vel quē-  
cunq; alium, qui potestatem regendi habet, reli-  
gionis vel Reipublicæ causa fieri contingit.

*Quid Priuatum, & quotuplex?*

Priuatum est, conuentio licita & honesta, quæ  
de rebus priuatorum celebratur, l. conuentio-  
num, ff. de pactis. Et illud vel est iuris gentium,  
vel legitimum, seu canonicum.

*Quid Pactum iuris gentium, &  
Legitimum?*

Iuris gentium pactum dicitur, omnium homi-  
num, qui ratione vtuntur, approbata conuētio,  
l. iuris gentium, ff. eod. Legitimum autem, seu  
canonicum, quod lege aliqua, vel Canone, sicuti  
hodie ferè omnia pacta nuda sunt, firmatur, l.  
legitima, ff. eod. & c. 1. extr. eod.

*Quæ causa Efficiens?*

Est duplex, propinqua & remota. Propinqua  
est, cōsensus paciscentiū, d. l. iuris gentiū, ff. eod.  
Remota est Canō, vel lex gētiū, ciuile vel p̄toria

L 2 quæ

quæ eiusmodi consensum approbant, & ad obligandum volunt esse efficacem, c. 1. extr. de pactis, l. 1. §. penul. ff. eod. l. an inutilis, ff. de accep. l. in venditionibus, ff. de contrah. empt. l. 5. 6. 7. ff. eod.

*Quorum consensus ad paciscendum effi-  
cax, vel qui pacisci possint?*

Omnes pacisci possunt, qui non prohibentur. Nam pacisci & contrahere, est de genere permisforū, l. quod si minor, §. nō semper, ff. de minor. l. licet, C. de act. l. mutuos, ff. de procurat. Prohibentur autem quidam natura, quidam Canone, & lege. Natura quidem, qui nullo iudicio & intellectu præditi, nec consensum accommodare possunt: ut sunt amentes, furiosi, infantes, putà, qui sunt intra septennium, muti & surdi coniunctim, l. 1. §. furiosum, & §. penult. ff. de act. l. 4. ff. eod. l. in quibuscunque, de act. l. vbi, ff. de reg. iur. Canone prohibentur pacisci de rebus Ecclesiasticis omnes illi, quibus non est concessa facultas alienandi illam rem, absque consensu Capituli vel superioris Prælati. Lege prohibentur impuberes, minores, prodigi, & mulieres: Qui licet ad eò iudicio mentis polleant, ut negotiū intelligant: tamen ne facilitate ducti in perniciem suarum rerum ducantur, volunt leges & senatusconsulta, ut hæc per pactum alterius obligationem in se non transferant: illi verò ad eò alterius arbitrio regantur, ut indifferenter pactis vel contractibus, cum quibus paciscuntur, vel contrahunt, nō obstringantur, licet ipsos in utilitatem eorum habeant obligatos, l. in negotijs, ff. de reg. iur. l. 1. ff. de

ff. de minor. inst. §. 1. de auct. tut. l. contra, ff. eod. l. is cui, ff. de verb. obligat. l. 3. C. de in integ. restitut.

*Quæ diuisio Pactorum sumitur à causa efficiente? Quid expressum, & quid tacitum?*

Quòd quædam pacta sint expressa, quædam tacita. Expressum pactum est, duorum vel plurium in idem verbis vel literis expressis consensus, l. 2. ff. eod. Tacitum est, conuentio, quæ ex præsumpta, & quasi ex coniecturata contrahentium elicitur volûtate, l. 2. C. de pact. l. aduersus, C. de usu. & l. qui in futurum, ff. eod.

*Quæ Materia?*

Dignitates, prælaturæ, & omnia beneficia, tam curata, quàm non curata. Res, quæ in commercio hominum consistunt, siue præsentis sint, siue absentes, dum tamen sint paciscentium propriæ, c. plerique, c. cum pridem, extr. eod. l. si in exceptione, §. omnium, ff. de contrah. empr. l. pactum, ff. eod. l. 3. C. de donat. l. interdum, ff. de verb. oblig. l. 1. & 2. ff. de except. rei iud. Et in genere, omnes res, de quib. pacisci Canonis vel legis nulla extat prohibitio.

*De quibus rebus Canones vel leges pacisci non permittunt?*

De illis rebus, quæ impossibiles, turpes, vel, ex quarum conuentione periculum animæ, turpitude, impossibilitas, vel absurditas inducitur, vel Ecclesiæ nocumentum infertur. Vnde

non valet pactum, quo id agitur, vt beneficium pro pecunia resignetur, quia committitur simonia, c. cum pridem, extr. de pact. Et sicut pactum de hæreditate viuentis, absque eius voluntate iure ciuili improbatur, l. pactum, l. licet, & l. fin. C. de pactis, ita etiam pactum de succedendo post mortem Prælati, in ipsius Ecclesia, iuxta Canones, nullius momenti est, c. accepimus, extr. eod. Ratio est. Quia Canones hereditariã successionẽ in Ecclesia Dei detestatur, 8. q. 1. c. apostolica, c. ad extirpandas, c. præsentium, & c. ex transmissa, extr. de filiis presbyterorum. Et in spiritualibus omnis pactio vel conuentio illicita videtur potissimum si de ijs obtinendis fiat, 1. q. 2. c. quam pio, & infr. de simo. c. tua, & infr. tit. prox. c. præterea, c. super, eod. & infr. vt Ecclesiastica beneficia, & c. c. vt nostrum. Etiam si iuramento talis pactio sit firmata: quia in animę detrimentum vergit, c. grauis, extr. de censib. & c. & c. tua nos, extr. de iureiur.

Turpes pactioes sunt, quæ vel fiunt de turpitate: vt si quis promittat, se facturum homicidium, sacrilegiũ, vel quid aliud, l. veluti, ff. de ver. oblig. §. q. turpi, Iusti. de incestis, inutilib. nupt. Vel, ob turpem causam: veluti si paciscar, ne furti iniuriarum, vel de dolo agam, l. si vnus, §. pacta, ff. de pactis. Quæ omnes Canonib. sunt prohibita, 22. q. 4. c. vnusquisque, & c. in malis promissis, & c. non semper promissa, c. definitio, c. si ad peccatum, & c. mulier, eod.

Impossibilis dicitur res, & ob id impossibile pactum, cuius commercium per rerum naturam haberi non potest, l. impossibile, ff. de re iud,

iud. c. pactioes, extr. eod. Deniq; de rebus aut iuribus publicis, nisi secundum iura publica pacisci non licet. Nam quæ publica sunt, pactis priuatorum mutari posse, absurdum esset, l. ius publicum, l. contra, l. ius agnationis, ff. eod. l. 3. §. fin. ff. ad l. Iuliã, de vi publ. l. si vnus, §. pacta, ff. eod. c. si diligenti, extr. de foro comp. Sicut etiam pacta, quibus redditibus Ecclesiæ detrahitur, vel grauamen adijcitur, vel aliquod præiudiciũ fit, infirma sunt, c. pleriq; 16. q. 1. & c. si quis laicus, & l. inter debitores, ff. de pact.

*Quæ diuisio Pactorum sumitur à materia? Et quid Pactum reale, & quid personale?*

Quòd quædam sint personalia, quædam realia. Omne pactũ generali quadam ratione transmissionis cum in rem dirigatur, reale est. Dicitur tamen sic reale proprie, quòd circa rem principaliter versatur, Bart. in l. pactorum, & Iason, l. 7. §. prætor, ff. eod. Personale aut pactum dicitur, quòd personã paciscentium respicit, nec eã egreditur, cum in hæredes non descendat, l. si vnus, §. ante, & l. idem, ff. eod. Sumuntur & alię diuisiones ab ipsa re, de qua pactio celebratur. Vnde & pacta dicuntur legitima & illegitima, ratione rei honestæ vel turpis, super qua interponuntur, d. l. si vnus, & c. vnusquisq; 22. q. 4.

*Quæ Forma?*

Quòd absq; obseruatione solenniũ, quę in stipulationib. requirũtur, sed promissione tantũ, vel absq; promissione, inuicẽ datis manibus, vel



interrogatione & responsione, siue congruat, siue non, & ex interuallo, inter presentes, inter absentes autem per nuntium, vel epistolam, literis vltro citroq; missis pacta conficiantur, l. 2. ff. eod. Iason in. 7. §. sed cum nulla, num. 32. & in rub. de verb. oblig. num. 5. & 6.

*Quæ diuisio sumitur à Forma? & quid Pacta nominata & innominata?*

Quædam pacta sunt nominata, quædam innominata. Nominatum pactum est, quod, ob certam contrahendi speciem, quam obtinet, certum aliquod contractus nomen induit, l. iuris gentium, ff. eod. Pactum innominatum est conuentio, quæ, cum nullum permutationis synallagma contineat nomine destituta equitati naturali subnixa manet, l. si tibi, C. de locato. Sunt & quædam pacta iudicialia, quædam extraiudicialia, quædam verbis, quædam scriptis & instrumentis celebrantur.

*Quæ causa Finalis?*

Causa finalis pacti, est acquisitio vel remissio, l. 1. cum donationis, C. de transact. Cum enim pacta, iure Canonum ad agendum & excipiendum sint efficacia, sicuti ijs de iure Actoris quandoq; remittitur, ita ius Actoris tribuitur, & quandoque confirmatur, l. 2. q. 2. c. quicumque, c. 1. & c. 2. extr. de factis.

*Quomodo iuxta finem Pacta diuiduntur? & quid Pactum obligatorium & liberatorium?*

Pacta quædam sunt obligatoria, quædam liberato-

beratoria. Pactum obligatorium est, quo pacifcentes ad aliquid dandum vel faciendum obligantur, Iason in rubr. de verb. oblig. Dd. in l. tale pactum, ff. eod. Liberatorium est, quo actio ex iure competens mediante acceptilatione, vel nouatione ipso iure, vel ope exceptionis tollitur, d. l. tale pactum, ff. eod. Et hæc diuisio etiam diuersum pactorum effectum concernit.

*Quis effectus Pactorum?*

Effectus pactorum iure pontificio est, conditio ex Canone, c. 1. & 3. extr. eod. 20. q. 1. c. puellæ, 22. q. 4. c. innocens, 18. q. 2. c. Eleutherius. Licet enim, de iure ciuili, ex nudo pacto non detur actio, tamen cum eiusmodi pacta obligent naturaliter, & ex bono & æquò, l. 1. ff. eod. & l. 1. ff. de const. pec. sequitur, eum, qui pacta non seruat, contra naturam, conscientiam, atque adeò contra officium boni viri facere, ac peccare mortaliter, glos. in c. 1. extr. de pactis. Nam & Paulus ad Rom. 1. eos, qui pacta non seruant, inter illos numerat, qui capitaliter delinquunt. Ergo indistinctè, ex pactis nudis serio & deliberatè initis, etiam in foro ciuili hodie datur actio. Quoniam definitum est inter Dd. vt quotiescunque agitur de vitando peccato, deq; causa conscientie, toties etiam in foro ciuili ius pontificium seruari debeat, c. 1. & cap. 2. vbi Dd. extr. de operis nouunt. Castrens. in auth. At qui semel, num. 3. & 4. C. de probat. cum similibus, quia inter simplicè loquelam & iuramentum non facit Deus differentiam, 22. q. 5. c. iuramenti, & 12. q. 2. c. quicumque suffragio.

180 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
*Ratione Effectus quomodo diuiduntur  
Pacta? Et quæ Pacta nuda  
& vestita?*

Quædam pacta dicuntur nuda, quædam vesti-  
ta. Vestita sunt, quæ vel cohærentia contractus,  
vel rei traditione, vel iuramento, vel lege, sunt  
firmata. Nuda autem sunt, quæ nudo pacifcenti-  
um cōsensu, absq; alio adminiculo nituntur. Et  
hæc ad producendam actionem inefficacia sunt  
sed cū & ea, si deliberato animo nant, canoni-  
ca sanctione comprobentur, in hoc à vestitis pa-  
ctis non discrepant, d. cap. 1. & ibi Dd. extr. eod.  
Quandoquidem & tale nudum pactū donatio-  
nis causam, ex qua hodie datur actio, in se conti-  
nere videtur, argumento, l. Campanus, in fin. ff.  
de operis liber. l. si quis argentū, C. de donat. Cū  
is, qui paciscitur donationis causa, rem certam  
& indubitatam iure ciuili liberaliter remittat, l.  
1. ff. de transact. Agi igitur ex eo potest, l. iuris ge-  
nium, §. quinimo, ff. eod.

*Quæ Cognata?*

Treuga, pax, trāctio, literarū obligatio, ver-  
borum obligatio. Et cōtractus in genere. Differt  
autem pactum in genere à contractu & trāctio-  
ne, sicut genus à specie. Nam contractus illas tan-  
tūm cōuentiones continet, in quibus obligatio  
inest mutua, seu, vt loquitur Iustinianus, synal-  
lagma, transactio tantūm ad ea conuenta perti-  
net, quibus res dubiæ terminantur, l. transacta,  
cum l. seq. ff. de verb. signif. Pactum autem, velut  
genus, omnes contractus, transactiones, & si qua  
similia sint promissa & conuenta, complectitur,  
siue

siue synallagma contineant, siue non contineant, siue rem transigant, siue non transigant, l. 1. §. 1. ff. de pact. In specie tamen pacisci & transigere hoc differunt, quod is, qui transigit, quasi de re dubia & lite incerta transigit; qui vero paciscitur donationis causa, rem certam & indubitatam iure ciuili liberaliter remittit, l. 1. ff. de transf. Sic conuentio idem est, quod pactio, causa ipsius pacti, quod effectum & actum paciscendi significat. Et sicuti literarum obligatio, literis, & verborum obligatio verbis, contrahitur: ita etiam pactum literis & verbis, absque tamen obseruatione solennium, quæ in illis requiruntur, fieri contingit, l. 2. eod. l. 1. §. 1. l. continuus, ff. de verb. oblig.

### *Quæ Pugnantiæ?*

Primò: Error, dolus, metus, imbecillitas, intellectus. Hæc enim substantiam pactorum, i. consensum impediunt, quò minus rectè, & ad producendum effectum, adhibitus videatur, l. si per errorem, ff. de iurisd. Bart. in l. & eleganter, ff. de dolo. Secundò: Vitium materiæ; vt cum turpis res, illicita, vel publica, in pactum deducitur, l. non dubium, C. de legibus, §. q. 1. c. apostolica. Tertio, contrarium posterius pactum, l. ab emptione, ff. eod. & l. pacta nouissima, C. eod. Quarto, pernicietas Ecclesiæ, c. plerique, ext. de pact. Quintò, periculum anime, c. pactiones, & c. cum pridem, extr. eod.

### AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Quandoque detrahendum est seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincera subueniat, c. vt constitueretur, 50. dist.*

*Sarius*

Satius est, pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium, c. nemo peritorum, 11. q. 3.

Promiores debemus esse ad absoluendum, quam ad condemnandum, c. ex literis, extr. de probat. c. tempora pœnitudo, 26. q. 7.

Inter iuramentum & simplicem loquelã Deus nullam facit differetiam. Quia, sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium, c. iuramenti, 22. q. 5.

Pacta, quantumcunque nuda, seruari debent, c. 1. extr. eod.

Quotiens in conuentionib. Superioris desideratur cõsensus, totiens rati habitio Superioris in ijs, quæ geruntur, postea superueniens sufficit, c. quotiens in, extr. eod.

Studiosè attendendum est iudici, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur, c. qualiter, extr. eod.

Pactum hereditaria successione in spiritualibus, vel beneficijs, Ecclesia detestatur, c. accepimus, extr. eod.

Sicuti, iuxta legitimas sanctiones, ita quoque secundum Canones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de iure, vel de facto, nullam obligationem inducit, c. pactiones, extr. eod.

Pactio, vel conuentio pro spiritualibus obtinendis celebrata, nullo modo subsistit. Quod etiam de ijs dicendum, quarum obseruatio vergit in animæ detrimetum, c. pactiones, extr. eod.

*Titulus XXXVI.*

Continuatio.

**T**Ransactio pacti species est, qua plerunque, ob dubium litis euentum, contentionis odium, grauitatem sumptuum, aliaque incommoda à lite disceditur. In hoc tamen à pacto differt, quòd, qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta, neque finita transigit: qui verò paciscitur, rem certam & indubitatam remittit, l. 1. ff. eod.

*Quid Transactio?*

Transactio est, de re dubia & incerta, non gratuita pactio, l. 1. ff. de transact.

*Vnde dicitur Transactio?*

Dicitur ab actionis transitione, eò quòd, qui transigit, ab actione transit & discedit. Et sic propriè dicitur transigere is, qui agit, l. 2. C. eod.

*Quotuplex Transactio, & quid generalis?*

Duplex est transactio, generalis & specialis. Generalis est, cuiusque negotij, de quo futura lis non timetur, definitio: Et hæc extenditur ad pactum, iusiurandum, & rem iudicatam, l. 1. vbi Iason, ff. de pact. l. tres fratres, ff. de pact. l. 2. ff. de iur. reiur. l. transacta, ff. de verb. signif.

*Quid*

*Quid Specialis? & quoruplex?*

Specialis est, contractus innominatus, quo inter litigatores res dubia & litigiosa, aliquo contra dato promisso, vel æquali permutato, remittitur vel finitur, l. 1. §. 1. de pact. glos. fin. l. sub pre. textu, C. eod. Bald. in l. summa, ff. de cond. indeb. vide Alex. in rub. C. eod. Et hæc duplici ratione celebratur: vel per nudum pactum, vel per Aquilianam stipulationē, gl. & Dd. in l. si causa, C. eod. vbi Bart. num. 5. Iason, num. 10.

*Quæ causa Efficiens?*

Est eorum, qui transigere possunt, consensus & voluntas, l. interpositas, vers. consensu terminata, l. non minorem, l. cum donationis, C. eod. l. iusiurandum, §. 1. ff. de iureiur.

*Qui transigere possunt?*

Omnes, qui liberam suarum rerum habent administrationem: alij autem, quibus alienæ rei administrandæ cura, vel functio commissa est, cum distinctione quadam transigere possunt. Procurator enim, nisi cum speciali mādato, vel omnium bonorum, vel in rem suam cōstitutus, transigere non potest, l. iusiurandum, cum l. seq. ff. de iureiur. l. procurator, ff. de procurat. hos. n. tres casus excipit gl. in l. transactionis, C. eod. Sic rutores, procuratores, fisci, vasalli, & similes, quamvis transigere possint, non tamen contra legis prohibitionem, transigendo donare, vel alienare possunt, vide gl. Bart. & Dd. in l. præses, C. eod. l. 4. C. de prædijs minorum, l. 1. ff. de off. procurat. Cæs. l. nulli, eod. vide in c. 1. §. si vasallus, si de fund. def. Curt. in tract. feud. parte 4. qui tres casus

casus in Vasalli transactione distinguit. Deniq; Prælati, absque consensu Capituli, vel Superioris, non potest transigere, c. contingit, c. decreto, c. veniens, extr. de transf.

*Quæ Materia?*

Res spirituales, ciuiles, siue temporales, & criminales, de quibus lis est, vel futura esse possit, l. 1. ff. eod. l. 2. vbi Iason, & Dd. C. eod. c. super eo, extr. de transf. Primò tamen circa spirituales distingue. Aut conuentio fit, vt pro spirituali, vel re sacra detur temporale: Et tunc, cum hæc pactio fit simoniaca, iure canonico reprobatur, c. præterea, c. super eo, extr. eod. c. cum pridè, extr. de pactis, c. vlt. extr. de rerũ permutat. Aut fit, vt res sacra, vel spiritualis detur pro spirituali: Et tunc, aut ea petitur, tanquam beneficium, aut tanquam proprietates. Si agetur super beneficio, vt aliquis recipiatur ad beneficium Ecclesiæ, vel quantum ad prælationem, nulla potest interuenire transactio propriè: quia incideret in vitium simoniæ, & talis titulus nõ habetur ex transactione, sed per canonicam institutionem, c. ex frequentibus, extr. de institutionibus, c. admonet, extr. de renunt. 16. q. 7. c. nullus omninò. Si verò res sacra, vel spiritualis in litigiũ deducatur, vt proprietates, tunc benè potest interuenire transactio, c. ad quæstiones, extr. de rerũ permut, c. statuimus, extr. eod. Et hæc conuentio etiã non propriè transactio, sed amicabilis cõpositio dicitur, d. c. super eo, extr. eod. Secundò, distingue circa res ciuiles, vel tẽporales. Aut res nũc transacta & finita est, & ampliùs de ea transigi, vel finiri nõ potest, l. si causa, C. eod. l. post rem, ff. eod. & l. & eleganter, ff. de cond. indeb.

Ideo



Ideò de rebus, super quibus iudicatum est, transactio esse nequit, aut res nondum finita est: Et tunc, aut ex conventionione captiositas, improbitas, & peccatum inducitur. Et talis transactio omni iure nullius momenti censetur, unde de controversiis ex testamento oriundis, non inspectis tabulis, transigi non potest, nec de futuris alimentis, nec de matrimonio, l. de his, l. cum hi, ff. eod. l. de preteritis, C. eod. c. ex parte, extr. de transact. Si autem de re nondum finita transactio non fuerit captiosa, improba, vel sacris literis contraria, tunc siue certum ius, siue incertum contineat, ob timorem & odium litis, super ea transactio celebrata valet, l. 2. C. eod. Tertio, circa criminales distingue. Aut transactio fit de crimine capitali, quod poenam sanguinis ingerit: Et tunc, aut transigens eadem poena punitur, qua punitus esset, si non transigisset (vt, qui de adulterio transigit, cum hoc ipso in lenocinium incidat, eadem poenam subit,) & tunc transigi non potest. Aut non punitur aliqua poena: & tunc transactio conceditur. Quia cuiuslibet sanguinem suum, quocumque modo, redimere licet, l. 1. ff. de bo. eor. Aut, transactio de alijs publicis criminibus, quae poenam sanguinis non ingerunt, contingit: & tunc aut iudicium coeptum nondum est, & transigere licet, aut coeptum est, tunc, citra falsi accusationem, non licet, l. transigere, C. de transactio. & ibi Dd.

*Quae Forma?*

Vt transactio per pactum nudum, vel aquiliana stipulatione facta, lis remittatur, & pro remissione

missione litis aliquid præstetur. Quia transactio, nullo dato vel retento, non procedit, l. transactio, C. eod. & l. 3. ff. eod. Fit etiam purè, sub conditione & modo, adiecta pœna, & per iuramentum, in iudicio, vel extra iudicium, scriptura, vel sine scripto, l. si super, C. eod. l. cum mota, l. pacto, l. vbi, l. cum proponas, l. si quis maior, l. siue, C. eod. vbi Iason, num. 1, & 2. & idem Iason in l. tale, §. qui prouocauit, num. 9. de pactis, l. 5. C. eod.

### *Quis Finis?*

Vt finis litibus imponatur, ob id enim transactio inuenta est: ideo Imperatores lites transactione legitimè sopitas, nec Imperiali rescripto resuscitari volunt, l. transactiones, & l. fratris, C. eod. l. 1. ff. eod.

### *Quis Effectus?*

Non minor, quàm rei iudicata, aut iuris iurandi. Quare nec rescripto Principis, nec prætextu instrumentorum postea repertorū, vel specierum, retractari potest, l. non minorem, l. causas, l. sub prætextu, & l. si diuersa, C. eod. l. 2. vbi Bart. & l. admonendi, ff. de iureiur. c. 1. extr. eod. Non tamen iure ciuili tollit transactio primam actionē iure conuentionis, d. l. si diuersa: sed tantum ope exceptionis, l. cum proponas, C. eod. quæ hodie est litis finita, c. 1. de litis contest. in 6. vbi glos. & Dd. in verb. finita, l. & eleganter, §. penult. ff. de cond. indeb. Ratio est: quia cum sit conuentio tantum iuris gentium, non potest actionem, quæ iuris ciuilis est, ipso iure tollere: nisi addita sit Aquiliana stipulatio, l. sub prætextu,

M

C. eod.

C.eod. Et acceptilatio, quæ dicitur esse ciuilis solutio. Iure autem Canonũ, cum ex quolibet pacto detur actio, non inconueniens erit dicere, etiam ex trãfactione, per nudum pactum, facta competere condictione: vel præscriptis verbis actionem & transactionem prius competetem actionem extinguere, vide suprà, de pactis, eod.

*Quæ Cognata?*

Amicabilis compositio, quæ nihil aliud est, quã rei spiritualis, vel sacre, pro spirituali, permutatio, 44. dist. c. generalis, & c. ex antiquis, & 10. q. 2. c. casellas, in fine, 23. q. 4. c. si illic, & cap. ad q̃stiones, extr. de rerũ permut. c. statuimus, & c. super eo, extr. eod. Pactum, iusiurandum, compromissum, res iudicata, diuisio, & contractus innominati, l. si quis cum aliter, ff. de verb. obli. decis. Neopo. 220. num. 3. Decius conf. 6. viso. nu. 4. & conf. 597. num. 10. Corn. conf. 27. in princ. lib. 4. Schurpff, conf. 50. num. 16. & 17. cent. 3. & conf. 16. casus, num. 17. cent. 2. & conf. 97. pro magis clariore, num. 12. cent. 3.

*Quæ Pugnantiæ?*

1. Error: obstat enim transactioni, quia consensus, cui ipsa innititur, deest, l. sub pretextu, C. eod. 2. Metus: quoniam, cum prætoris edictum de metu rescissorium sit, retractatur per in integrum restitutionem id, quod metu gestum est, l. interpositas, C. eod. 3. Dolus: ob quem quidem non ipso iure rescinditur transactio, sed exceptione, vel replicatione, l. 4. l. sub pretextu, & l. siue, C. eod. 4. Falsitas: si nimirum altera pars ad transigendum, falsitate vel calumnia quadã inducitur,

ducitur, l. penul. C. eod. l. in summa, C. de cond. indeb. 5. Simoniaca conuentio: vt si quid temporale pro spirituali, vel re sacra detur, c. constitutus, c. super eo, extr. de transf. 6. Læsio Ecclesiæ: ob quam datur Ecclesiæ in integrum restitutio ad quadriennium, c. 1. extr. de in integ. restit.

## A X I O M A T A.

*Instrumēta, & alia iura partium, contraria transactione tolluntur, c. sicut graue, extr. eod.*

*Prelatus simpliciter ad agendū constitutus, sine licentia Capituli transigere nō potest, gl. in c. contingit, eod.*

*Allegans turpitudinem suam, non est audiendus, c. cum super, extr. de concess. prabend. & c. inter dilectos, extr. de donat.*

*Sublato principali, & accessorium corrui, c. si diligenti, extr. de foro comp. & c. inter dilectos, extr. de fide instr.*

*In pari causa turpitudinis potior est possidentis conditio, l. lator, extr. de re iud.*

*Super Ecclesiastico beneficio transigi non potest, etiam cum iuramenti interpositione, c. constitutus, eod.*

*Non potest quis esse testis & aduocatus in eadem causa, 16. q. 2. c. statuendum.*

*Super Ecclesiastico beneficio propriè non potest transigi, sed amicabiliter componi, c. super eo, extr. eod.*

*Iudicis officium est, componere partes, si potest, priusquā ad iudicium veniant, c. si primates, 5. q. 2. c. studē dum. dist. 90. c. si quis membrorum, 24. q. 8.*

*Iudex ob oculos equitatē habere debet. Et equitas præsertur rigori iuris, glos. in c. fin. extr. eod.*

M    a    Vbi

*Vbius scriptum non est, de similibus ad similia est procedendum, c. in causis, extr. de re iud. c. recolentes, extr. de statu monach. c. inter ceteros, extr. de rescript.*

## DE POSTULANDO.

*Titulus XXXVII.*

## Continuatio.

**L**ite per transactionem non sopita, vel pacto transigendi negotij causa nullo interposito, iudicium procedit, teneturq; Reus conven- tus, vel intentionem Actoris fateri, vel eius desi- derio per se, vel per alium, ad præstandum pa- trocinium idoneum contradicere, l. 1. ff. de po- stulando.

*Quid est Postulare?*

Postulare est, desiderium suum, vel amici sui, in iure, apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere, 3. q. 6. §. sunt autem, l. 1. §. postulare, ff. de postu- lando.

*Quæ causa Efficiens?*

Iussus magistratûs, vel ordinarij iudicis, qui petentibus litigatoribus eorum nomine postu- landi gratia dat patronos, etiam inuitos, l. 1. §. a- it prætor, ff. eod. & l. fin. C. eod. gl. in c. 1. §. item ad verb. perdit quæ fuit pr. causa benef. amitt. nam postulare, publicum munus est: ad publica autem munera etiã inuiti coguntur, l. 2. ff. de reg. iur. l. 1. in prin. de administ. tuto. & tot. tit. ff. de munerib.

Qui

*Qui Postulare possint?*

Quilibet, qui, aut edicto, lege, vel Canone, non prohibetur: vt sunt ingenuus, libertus, literatus, & illiteratus; dummodò experientiam causarum ex consuetudine habeat, l. nec cæterorum, & l. prouidendum, C. eod. & in auth. de iud. respon. 1. ibi nos igitur, & c. col. 7.

*Qui prohibentur Postulare?*

Prætor in edicto prohibitorio tres ordines facit. Primus ordo, tam pro se, quàm pro alijs postulare prohibetur. Secundus, pro alijs tantùm prohibetur, non autem pro se. Tertio ordini, tam pro se, quàm pro coniunctis personis, non autem alijs postulare licet, l. 1. ff. de postulando.

*Qui neque pro se, neque pro alijs Postulare possunt?*

Minor 17. annorum, & naturâ surdus, qui magistratûs iussu, vel Prætoris decretum exaudire non potest: quo non audito, quasi non obtemperasset, pœna contumacium plecteretur, l. 1. §. initium, ff. eod. & clericus in causa sanguinis, inf. ne clerici vel monachi secularibus neg. & c. & 23. q. 8. c. his à quibus.

*Qui pro se possunt, non autem pro alijs?*

Primò scœminæ. Ratio est: ne contra pudicitiam sexui congruentē alienis causis se immisceant, & ne virilibus officijs fungantur mulie-

res, l. 1. §. secundo loco eod. Secundò, cæci & vtrif-  
que luminibus orbat. Quia insignia magistra-  
tûs non possunt videre neque reuereri. Tertio,  
in signi quadã tarpitudine notati, vt omnes in-  
fames ipso iure, damnati de calûnia iudicio pu-  
blico, condemnati capitali crimine, passi mulie-  
bria, & ij, qui operas ad depugnandum cum be-  
stijs suas elocarunt, d. l. 1. §. 2. & §. remouetur,  
ff. eod.

*Qui postulare possunt pro se, &  
coniunctis personis  
tantum?*

Omnes, qui lege, plebiscito, senatusconsulto,  
edicto, decreto, Principum placito, prohibentur,  
&c. vt sunt, iudices, & arbitri in ea causa, quam  
iudicaturi sunt, addictus pœnæ, seruus, mulie-  
bria passus, is qui pactus est de quota parte litis,  
hæreticus, excommunicatus, potentiores: & qui  
per sententiam iudicis infames sunt. Omnes. n.  
hi non in totum pro alijs postulare prohibentur,  
sed tam pro se, quàm pro personis certis, putà,  
pro parente, fratre, sorore, vxore, socero, patro-  
no, patrona, eorumq; liberis, alijsq; de quibus  
sub titulo, De in iure vocãdo, item, pro genero,  
nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, alijs-  
q; coniunctis, fortè ad quartum vsq; gradum,  
glos. in l. 4. de testibus, glos. & Dd. in c. fin. extr.  
eod. Et Bart. in l. sed & hæ, ff. de procurat. Item  
pro personis, quarum tutelam curationemve ge-  
runt, vtpote, pro pupillo, furioso, mente capto,  
d. l. 1. §. fin. cum seq. ff. eod. Prohibentur etiam  
cleri.

clerici regulares postulare, nisi pro vtilitate Ecclesie, vel sui monasterij, & præcepto Abbatis, c. ex parte, extr. eod. 16. q. 1. c. alia, & c. placuit: sic clericus in sacris vel minoribus beneficiatus in seculari foro postulare, nisi pro se, vel sua Ecclesia, vel miserabilibus personis postulet, non potest, c. clerici, & c. si. ext. eod. 16. q. 1. c. puenit. 88. dist. c. 1. & c. Episcopus, extr. ne cler. vel monach. & c. de presentium portitore, 16. q. 1. Interdicitur etiam prælati Ecclesiarum secularium postulandi facultas: Vnde iubentur Episcopi, alijque Prælati, non per se, sed per aduocatos litigare, c. quia Episcopus, 5. q. 3. Ratio huius habetur in c. perlatum, 88. dist. c. denique, 14. q. 5. & c. te quidem, 11. q. 1. non enim Episcopus, vel alius quidam Prælati committere debet, quo eius dignitas vilescat.

*Quod Subiectum?*

Est persona, quæ iussu iudicis competentis, vel à partibus ad postulandum constituitur: Et dicitur patronus vel aduocatus. Qui describitur esse vir graui authoritate & existimatione præditus, qui propter excellentem iuris cognitionem, natiuam prudentiam, eloquentiam, & rerum multarum usum, ad causas forenses agendas vel defendendas, quasi patronus, vocatur, vt in negotijs grauibus, & arduis patrocinium litigantibus præbeat, idque plerunque in scriptis pugnando, & consulendo, vt notatur in titulo C. de aduocatis diuersi. iud.



*Quæ Materia?*

Omnes causæ ciuiles & criminales, ex varijs generum figuris proficiscentes.

*Quæ Forma?*

Cùm causæ ciuiles & criminales variæ sint, in quibus aduocati patrociniū præstant, non potest certa forma præscribi. Officiū autem aduocatorum, & quid ipsi in postulationib. obseruare debeant, recensetur per Imp. Valent in l. quisquis, C. de postulando.

*Quis Finis?*

Vt dignitas & reuerentia magistratûs conferretur, quod fieri nō posset, si cui libet illiterato, inidoneo, deprauatis moribus corrupto, postulandi munus concederetur, fieret enim, vt cause, cum graui detrimento litigantium agerentur, & authoritas iudiciaria vilesceret: cùm aduocatus vir autoritate, & existimatione grauis, cuius meritum ipsum in foro nobilissimum faciat, esse debeat, l. prouidendum, C. eod.

*Qui Effectus?*

1. Vt quæstiones patrociniū aduocatorum disputatæ, examinatæ, & declaratæ, in quamcunq; partem victoria ceciderit, per iudicem definitæ, etiam velamento absentix patroni causa resuscitari non possint, l. velamento, C. eod.

2. Effectus prohibitionis est, quod, qui contra Ecclesiam postulat, non modò repellitur à postulando, sed etiam pœna mulctatur arbitraria, l. 1. §. aduersarius, ff. eod. Nam quotiescunq;  
lex

lex aliquid prohibet, nec adijcit certam pœnã, quæ contravenienti irrogetur, toties pœna arbitrio iudicis commissa intelligitur; gl. & Dd. in l. 3. C. de sacrosanctis Ecclesijs.

3. Quamdiu quis idoneum non habet aduocatum, aut habere potest, tamdiu, propter cõtumaciam, perinde ac si aduocatum haberet, damnari nequit, c. 1. extr. vt lite non contest. vbi glos. ad ver. aduocati.

4. Clericus, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium habet, aduocat, tanquam ingratus beneficio priuatur, c. fin. extr. de postul. ar. 1. quæst. 8. c. 1. 96. dist. c. si Imperator, c. nulli, 3. quæst. 1.

### *Quæ Cognata?*

Procuratio, defensio, differunt enim hæc à postulatione: Primò, quia procuratio propriè ad curam alienorum negotiorũ refertur, postulatio & defensio autem fiunt in iudicio, siue, sui nomine, siue alieno, quid petatur, l. 1. eod. Secundò: Procurationis & defensionis officium, est priuatum, postulationis autem publicum, l. 1. & 2. toto tit. de postulat. & l. 1. §. 1. ff. eod. Tertio: Aduocatus non timet damnum, cum se in aliquo non obligauit. Nõ enim obligatur ex processu causæ, nec secum fundatur iudicium: sed in procuratore & defensore hæc fiunt, glos. in l. 1. in ver. compleuit. ff. de postul.

### *Quæ Adiacentia?*

Iustus iudicis, voluntas litigantium, experientia & cognitio iuris & statutorũ, perspicacia, industria aduocati & salarium: quod si litigatores præstare, ob paupertatem non possunt, non

tamen eorum causa deferri debet, sed potest magistratus, vel de publico, vel ex ærario eleemosynarum communi, suppeditare, glos. & Dd. in c. l. 1. ad verb. non habebit, ff. eod. Paris de puteo in tractatu synd. ad verb. carcer & carceratus, c. 4. num. 2. & 3. per l. 2. & l. iudices, C. de Episc. auctoritate, &c.

*Quæ Pugnantiæ?*

Præuaricatio, conuiciandi, & maledicendi, temeritas, opprobria, protractio iurgij ex industria, procacia, præteritio, & defectio meritoria cause, quæ sita occasio, ad turpe compendium, si penes deformem, l. quisquis vult esse caudiculus, C. de postul. l. 1. & l. post duos, C. de aduoc. diuers. iud. Vltimò, pactio de quota litis. Circa hoc tamen distingue: aut pactio illa fit, pendente lite: & aduocatus notatus infamiâ aduocacionis officio priuatur, l. si qui aduocatorum. Aut fit post actam causam: & talis non est illicita, dummodò licitam quantitatem non excedat. Licita autem quantitas, vt ait Vlp. in l. 1. §. licita, ff. de extraord. cog. intelligitur, pro singulis causis vsque ad centum aureos.

DE PROCURATORIBVS.

*Titulus XXXVIII.*

Continuatio.

**I**Nter personas, quæ alienam litem causamque suscipiunt, procurator est. Is enim ad alienam litem ex mādato Rei principalis accedit, siue agat,

agat, siue defendat: in hoc discrepans à defensore, quòd is sine mandato rebus alienis spontè se offerat in iudicio, l. item ait, ff. ex quibus causis.

*Quis dicitur Procurator?*

Procurator est, qui aliena negotia mādato domini gratuitò administrat, l. 1. ff. eod. c. quia Episcopus, 5. quæst. 3. Quod verbum (gratuitò) ideò adijcitur, quòd procuratoris non sit pacisci de Quota, licet salarium impenso labore dignum accipere possit: vt propter interuentionem mercedis, procuratorem à locatore operum discernamus.

*Quot modis constituuntur? vel quotuplices sunt Procuratores?*

Ratione causæ efficientis, materiæ, formæ, & effectus, variè constituuntur, & appellatur procuratores.

*Quomodo ratione causæ efficientis vel effectus?*

Quidam dicuntur veri procuratores, quidam falsi. Veri sunt, qui à domino ad hoc, porrecto mandato, legitimè cōstituti sunt. Falsi sunt, qui à domino mandatum non habent: vel qui quidè habent, sed reuocatū, vel alio quouis modo extinctum, l. licet, C. eod. l. falsus, C. de furtis, c. ex parte, extr. de rescript. Et ab his administrata in effectu ipso iure nulla sunt. Sunt etiam quidam qui in specie procuratores dicuntur, putà, à priuato quodam cōstituti: quidam syndici, qui ab vniuersitate, vel Collegio constituuntur.

*Quomo-*

*Quomodo à Materia?*

Quidam speciales, vniuersales, generales, & cum libera. Quidam in rem vel causam alienam, & quidam in rem utilitatemque suam, dicuntur. Procurator specialis dicitur, qui certæ alicuius rei, seu litis negotijque expediendi causa constituitur, l. procurator, ff. eod. c. 5. eod. in 6. Vniuersalis dicitur, qui vniuersorum bonorum, vel in genere, omnium litium, mandato domini constituitur; & hic generalis nonnunquam etiam nuncupatur mandato, & d. l. procurator, ff. eod. Et constituitur tam in spirituali, quam in civili. Spiritualis, vt, in c. cū venissent, extr. de integ. restitut. pecuniaria & civili, vt, l. licet. C. de procurat. Procurator cum libera dicitur, cui rerū gestio liberè, vt omnia, perinde ac dominus, peragere, absque vllō impedimento, possit, committitur, d. l. mandato, l. procurator, ff. eod. c. 4. §. fin. de procurat. in 6. Procurator in rem alienam dicitur, qui aliena negotia administranda mandato domini suscepit, l. 1. ff. eod. Procurator in rem suam est, qui quidem alienum negotium mandato domini gerit, sed ad suum tamen emolumentum, l. seruum, ff. eod.

*Quomodo à Forma?*

Quidam procuratores sunt iudiciales, quidam extraiudiciales. Iudicialis est, qui lites alienas vigore concessi à domino mandati, vel cautionis de rato in iudicio persequitur, & ille non potest alium substituere procuratorē, nisi post litis contestationem, postquam ipse dominus li-

tis

tis constituitur, & nõ datur nisi maior 25. annis. Extraiudicialis est, qui negotia domini, eius vel tacito, vel expresso mandato, extra iudicium administranda & expedienda suscipit. Et hic aliũ substituere procuratorem potest, & liberè, c. 1. eod. in 6. Et potest dari post 17. annum. Est & alia differentia inter procuratorem ad iudicia, & ad negotia, quæ notatur in c. ex parte decani, extr. de rescript.

*Quæ causa Efficiens?*

Iussus iudicis, & ratificatio domini, quæ pro mandato est, consensusque tam constituentis, quàm constituti, l. 1. §. 1. vbi glos. & Dd. ff. de postul. Mynsing. obser. 44. cent. 1. vide glos. & Dd. in l. pecuniam, C. de neg. gest. glos. in l. mutus, eod. l. 1. ff. mand. l. filiusfam. §. inuitus, §. fin. & l. 2. in verb. quia consensus abest, ff. eod.

*Qui constituere possint Procuratores?*

Omnes, qui vel lege, vel Canone non prohibentur. Prohibentur autem, excommunicatus, pupillus, furiosus, minor, qui curatorem habet: nisi tutore, vel curatore auctore, l. mutus, ff. eod. l. neque, C. eod. c. fin. extr. de probat. Syndicus vniuersitatis, tutor, curator, procurator, nisi lis cum illis contestata sit. Ratio est. Quia procurator à domino constituitur: hi autem lite nondum contestata, domini litis non sunt, d. l. neque, l. nec ciuitatis, ff. eod. l. nulla, C. eod. & ibi glos. & Mynsing. obseruat. 43. cent. 1.

Filiusfamilias in iudicio, nisi in castrensi, vel quasi

quasi

190 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
quasi Castrensi peculio, l. filius, ff. eod. l. sed si v.  
nus, §. filius, ff. de iureiur. Servus non constituitur,  
nisi sit in quasi possessione libertatis, & mouea-  
tur ei quaestio status, l. seruū, ff. eod. l. 1. C. de ad-  
fert. tollend. Ab hostibus captus; constitutus e-  
nim in potestate hostium dominus rerum sua-  
rum non dicitur, l. ab hostibus, ff. ex quibus cau-  
sis. Quilibet Prælati, absq; consensu Capituli,  
c. fin. extr. eod. c. causam, extr. de iud. Innoc. III.  
in c. edoceri, extr. de rescript.

*Qui constitui Procuratores pos-  
sint, vel non?*

Quiuis procurator cōstitui potest, nisi ex cau-  
sa prohibeatur. Prohibitorum autem in triplici  
genere sunt: quidā omninō nō possunt procura-  
tores dari, vt sunt, q̄ vitio nouercata natura, vel  
ex accidēti, cōtracto laborāt, vel reb. suis, ob defē-  
ctū intellectū, p̄gessse nō possunt, vt sunt mutus,  
surdus, furiosus, prodigus, &c. vel q̄ in dignitatis  
aliquo gradu & functione publica sint cōstituti,  
quorū decor huius functionis vilitate nō debet  
dehonestari, vel obscurari: vt sunt quælibet illu-  
stres personæ, cōsules, decuriones, medici, profes-  
sores, &c. Procuratoris. n. officiū, nō est dignitas  
sed onus, vt notat gl. in l. 2. C. de dignit. lib. 12. &  
Panor. in c. Imperatorū, nu. 9. de iuram. calum.  
& ab aliquib. pro munere vili & nullius existi-  
mationis iudicatur, l. si quis procuratorē, vbi gl.  
& Bart. Ang. & alij de dig. lib. 12. Dynus in c. infa-  
mib. de reg. iur. in 6. Panor. in c. post celsionē, nu.  
2. de probat. ob id illustres personæ, ne iacturam  
existimationis faciāt, possunt ab officio procura-  
torio abstinere, l. quicumq; , C. eod. Auth. ibi sig-  
nata,

nata, quod ius, & in Auth. vt ab illustri, Spec. de  
 procur. §. 1. nu. 35. nec Episcopi, vel Prælati, ne à  
 diuinis obsequijs auocetur, & litibus, cōtentio-  
 nibusq; incumbat; cū seruos Dei ab omni discor-  
 dia auersos & pacificos esse oporteat; procurato-  
 res cōstituuntur, c. sicut sacerdotes, 2. quæst. 7. c.  
 cū simus, 9. quæst. 3. l. omnes, C. de Epis. & cler.  
 Secundo: quidam tantū in iudicio ad lites non  
 possunt cōstitui, licet ad negotia possint. Vt sunt  
 seruus, excommunicatus, cū in iudicio legiti-  
 mā personā standi non habeant, c. intelleximus,  
 extr. de iud. minor, ob beneficiū restitutionis, l.  
 exigēdi, C. eod. Panor. in c. iniuste, eod. infamez,  
 si dētur pro Ecclesiasticis personis, & nō pro lai-  
 cis, Panor. in c. Imperatorū, nu. 9. extr. de iureiur.  
 mulier, ob pudorē sexūs, l. alienā, C. eod. l. 3. §. 1.  
 ff. de neg. gestis, l. neq; fœmina, ff. eod. Exceptis q̄  
 busdam casibus, scilicet, 1. Si in rem suam consti-  
 tuta sit, l. quia te, C. de procur. 2. Pro parente in  
 necessitate, l. fœminas, ff. eod. 3. Quando filiorū  
 tutelā gerit, c. ex parte, extr. de appell. 4. Cū agi-  
 tur pro libertate filij, vel patris, vel fratris, vel al-  
 terius consanguinei, l. 3. ff. de liberali causa, 5. In  
 causa filij per sententiā condemnati, quia appel-  
 lat pro eo, & causam prosequitur, l. 1. §. fin. ff. de  
 appell. recip. vel non. Deniq; quidā neq; ad lites,  
 neq; ad negotia constituuntur, tantū in tem-  
 poralibus, licet in spiritualibus procuratores es-  
 se possint, vt sunt monachi, & clerici tam regula-  
 res, quàm seculares, in quolibet gradu constitu-  
 ti, c. 1. extr. de synd. c. sed nec procuratores, & c.  
 1. verb. conductores, extr. ne cler. vel monach. &  
 in Au. de sanctis Episcopis, §. Deo amabile: cū &  
 pro



pro miserabilibus personis, coniunctis, & pro Ecclesijs suis maximè in causis, laicorū & foro seculari procuratores dari possint, c. 1. & fin. extr. de postul.

*Quæ Materia?*

Negotia, vel omnium bonorum, vel alicuius partis extra iudiciū, & omnes lites, vel quædam in iudicio, quæ ex causis, quibus adhiberi potest procurator, proficiscuntur, l. in copulandis, C. de nupt.

*Quæ causæ in iudicio agitari possunt,  
& quæ non?*

Per procuratorem agi possunt omnes causæ civiles, nisi interesse Reipublicæ aliud suadeat, siue lis contestata sit, siue non, l. 2. l. nihil arbitramur, C. de procurat. l. 1. ff. an causæ appell. per alium red. l. qui populari, ff. de popul. act. circa criminales causas distinctio hæc habenda est. Aut de crimine agitur ad pœnam civiliter, aut criminaliter: si civiliter, etiam in causa criminali interuenire procurator potest, c. extra mediatores, extr. de test. l. vlt. C. ad l. Cor. de fal. c. super his, extr. de accus. c. tuæ frat. extr. de procur. c. 1. extr. vt lite nō cōtestata, & c. Sin aut criminaliter, tunc non admittitur procurator, neque in agēdo vel defendendo, c. Reos sanguinis, 23. q. 5. & c. veniens, extr. de accus. & c. tuæ, extr. de procurat. c. si quando, 2. q. 6. c. in criminalibus, 5. q. 3. & c. absens, 3. q. 11. Et est duplex ratio. 1. quia si interueniret procurator, & succumberet, ipse condemnare.

demnaretur, qui nō deliquit, l. liberto, ff. de neg. gest. quod esse non debet, æquitate aliud suadente, c. cognoscentes, extr. de constitut. 2. Quia id, quod admitteret, non posset consequi per actionem mandati contrariam, licet secus sit in causa ciuili. Excipiuntur tamen aliquot casus, quibus & in criminalibus admittitur procurator: 1. In crimine iniuriarum, si sit illustris persona, c. absens, 3. q. 9. 2. In accusatione ingratitude, l. sed & hæ, §. patronus, ff. eod. 3. In accusatione suspecti tutoris, l. non solum, §. fin. ff. eod. 4. In accusatione suspecti Prælati, secundum Innocentiū III. c. veritatis, extr. de dolo, & cont. 5. Si crimen, siue publicum sit, siue priuatum, non excedit pœnam relegationis, vel etiam ab ordine remotio- nis secundum Azo. Tancr. in l. absentem, ff. de pœnis. 6. In actione populari, pro priuato damno, intentata, l. licet, ff. eod. 7. Ad proponendum excusationes, c. reos, 23. q. 5. 8. Cùm seruus accusatur, quem dominus defendit, l. si seruus, C. de accus. 9. In leuibus criminibus, l. leuia, ff. de accus. 10. Ad excusandum & excipiendum, c. cùm dilecti, extr. de dolo & cont. Hodie tamen vsu frequentiori obseruatur, vt causæ criminales indifferenter, ob grauitatem, qua ciuilibus præponde- rant, per procuratores agantur.

*Quæ Forma conscriptionis Pro-  
curatoris?*

Vt expresso (putà, per pactum, nuntium, li-  
teras, rati habitionem) vel tacito, (vt si dominus  
præsens, patiat rem suã agere) domini vel Ca-  
pituli, (quod loco domini est) cōsensu, quis pro-  
curator

N

curator

curator generaliter, ad omnia negotia, vel specialiter, ad certam causam, litemq; , vel cum clausula; Cum libera, in diem, vel ad diem, vel sub conditione, in iudicio, vel extra iudicium; constituitur, l. 1. l. inuitus, C. eod. l. 1. & , l. seq. ff. eod. Mynf. obseru. 44. cent. 1. l. qui patitur, ff. mādati, Clem. 1. eod. l. 1. & , l. 2. l. 5. & 6. l. seruum, ff. eod. l. 1. ff. mādati, l. 3. eod. l. mandato, l. procurator, ff. eod. Bar. in l. creditor, ff. mandati, l. 2. ad Trebel. gl. in c. ex parte, extr. de arb. per tex. in c. cū dilectus, extr. de relig. domib.

*Quæ forma constituendi Procuratoris  
in iudicio?*

Vt dominus mandatum actis insinuet, hoc est, literas procurationis parti, vel iudici dirigat, offerat iudici, aut mittat, & ad acta redigi curet: aut vt ipse coram iudice procuratorem eligat, eiusq; personam confirmet, & se ratum habiturū, quicquid ille gesserit, polliceatur & caueat, l. si procuratorem, vbi Bar. num. 3. ff. eod. l. ne fatisdatio, ff. rem ratam habere. Et Specu. in tit. de procuratore, §. ratione formæ, num. 13. & 19.

*Quæ Forma constituendi extra  
iudicium?*

Vt coram notario & testibus, aut, si is haberi nequit, literis, priuato vel publico sigillo, consignatis constituatur, iuribus suprā allegatis, &c. Et hoc casu quando sic de mandato constat, non cogitur procurator Actoris cauere re ratā dominum habiturum. Quòd si aut nullum omninò mandatū exhibere potest, tunc ne offerens quidem

dem cautionem, inuito aduersario, nisi pro coniuncta persona, recipitur, l. sed hæ, ff. eod. l. maritus, l. exigendi, C. eod. Sin autem probabiliter dubitetur, vtrum quis mandatum habeat, an non? Hoc casu cū cautione de rato admittitur, Cuius obser. lib. 7. c. 26. procurator autem Rei eodem modo, aut in iudicio, aut extra iudicium constituitur: sed adhibita satisfactione iudicatum solui, l. iudicatum, ff. iud. sol. eoq; nomine hypothecam suorum bonorum supponere pignori Reus debet, l. qui proprio, ff. eod. Nemo enim in re aliena iustus defensor est, nisi satisfaciat de iudicato soluendo, d. l. q. propria, ff. eod. & Bar. in d. l. si procurator. Vbi addit, etiãsi mādātū habeat idoneū procurator, tamē ad hāc cautionē teneri, nisi dominus ipse satisfaciderit, per l. vnicā, C. de satisf.

*Que Forma mandati seu instrumenti Procuratorij?*

Vt mandatum contineat nomen iudicis, coram quo litigatur, constituentis, constituti, & eius, contra quem, in qua causa, & ad quid (puta, an ad agendum, vel defendendum) constituitur, & quod ratum habebit dominus, quod cum eo actum erit. Et potissimum, si à Reo detur, exponatur in literis satisfactio, per quam ipse dominus sub hypotheca rerum suarū fideiussor procuratoris existat iudicatum solui, etiam cū apud acta constituitur, c. accedens, c. constitutis, extr. eod. cap. Nicolao, extr. de appel. §. si verò aliquis, instit. de satisf. l. vnicā, C. eod. l. 2. C. de confortibus eiusd. lit.

N 2

Quis

*Quis Finis?*

Vt, quia domini rebus suis superesse nolunt, vel nequeunt, eorum negotia, per alios ad id idoneos, expediuntur, l. 1. ff. eod. Cùm & publicè interfit, vt absentes defendantur, l. seruum, §. publicè, ff. eod. l. 4. §. 1. ff. de actionibus.

*Qui Effectus?*

Primus effectus est, vt procurator, qui vel sua spontè, vel coactus, suscipit negotium demandatum, & tractare incipit, ipsa tractatione fit dominus negotij, postquam res desijt esse integra, tam extra iudicium, quàm in iudicio, l. eum, §. fin. ff. de constit. pec. Barr. in l. 1. C. de sentè. & interloc. l. 1. ff. de stipulat. seruorum.

Secundus: Vnde post litis contestatione procurator dominus litis fit, & omnia facere, agere, & gerere ex bona fide potest, q̄ dominus facere posset, l. procuratoribus, l. nulla, C. eod. c. 1. §. 1. eod. in 6. Mynsing. obseruat. 43. cent. 1. c. 1. extr. vt lite non contestata.

Tertius: Sicut omnes contractus ab initio sunt voluntatis, ex post facto autem necessitatis, ita etiam mandati procuratorij susceptio sese habet vt, qui suscepit, etiam inuitus, absolueret & exequi mandatum auctoritate magistratus cogatur, prætor enim se coacturum edicit, l. filiusfamilias, §. fin. l. sed hæ, ff. eod. nisi iustissima causa procurator se excusare possit, l. sed si quis, ff. quem admodum testamenta, &c.

Quartus: Quòd citationes non ad dominum, sed ad procuratorem, dirigantur, actusq; iudicialij

rij

rij ab ipso exigantur: ita, vt sententia non in dominum, sed in ipsum procuratorem etiam proferatur, l. 1. C. de sententijs & interloc. c. 1. extr. vt lite non cōtest. c. querelā, extr. de elect. l. liberto, §. fin. ff. de neg. gest. Et sanè in his, in quibus executio sententiæ perinde fieri potest, in procuratorem ac in dominū; vt in ciuilib. & pecuniarijs causis; secus est in ijs, in quibus executio fieri nequit in procuratorem, vt matrimonialibus & criminalibus, in quibus procurator, iuxta prius notata, admittitur, & id genus alijs, l. fin. vbi gl. Bart. & l. nihil, C. eod.

Quintus: Mandati actio directa & contraria, quæ ex obligatione, quæ inter dominum, & procuratorem consistit, proficiscitur. Directa quidē datur domino, contra procuratorem, ex varijs causis, quæ sunt in d. l. licet, l. filiusfamilias, §. sed et si, ff. eod. d. l. si procuratorem, ff. mandati, l. si quis, §. si quis, ff. de pœnis, d. l. q. proprio, §. procuratores, ff. eod. Contraria datur procuratori, contra dominum, ad consequendum id, quod bona fide expendit ex mandato, c. cū pro causa, extr. eod. c. quicumq; 12. quæst. 4. Quod si mandatum non habuerit, quod extra mandatum, in utilitatem tamen domini, expendit, cōsequitur negotiorum gestorū actione. æquum enim est, nusquam illi officium esse damnosum, l. sed si quis, ff. quemadmodum testamenta, & c. Item ad consequendum salarium, l. salarium, cum ll. sequent. mutuam, ff. mandati, l. salarium, C. mandati, l. sumptus, ff. de pact.

Sextus: Vt quicquid fuerit in iudicio, ex quo apparet de mandato legaliter facto, omnimodò

ratum sit, c. 1. extr. eod. potest enim procurator domino & nocere & prodesse, c. 1. & c. 2. de confel. in 6.

*Quæ Cognata?*

Affinitatem quandam cum procuratoribus, ratione susceptæ defensionis, vel administrationis rei alienæ, vel in iudicio, vel extra iudicium, habent aduocati, causarum patroni, defensores, syndici, actores, executores, notarij, vindices, negotiorum gestores, cognitores, oeconomi, curatores, tutores, operarum locatores, nuntij, c. causam, extr. de test. l. Pomponius, l. Plautius, ff. eod. Cuiacius ad Paul. lib. 1. tit. 2.

*Quæ Adiacentia?*

Mandatum, cautio de rato, cautio mandati portandi, cautio iudicio fisti, & cautio iudicatum solui, potestas substituendi, salarium, diligentia, cura, cum de malè & perperam gestis, vel incuriâ neglectis procurator teneatur domino.

*Quæ Pugnancia?*

Mors alterutrius tam constituentis, quàm cōstituti, re integra, ætas procuratoris minus apta negotijs, valetudo, occupationes, & impedimenta, quibus ita dstringitur, vt suis reb. præesse nequeat, inimicitia, affinitates, aut amicitia cum aduersario contractæ, infortunium, & calamitas, tam procuratoris, quàm domini, finitio instantia: Quæ sunt reuocandi procuratoris iustæ causæ, Felin. in c. ex parte, nu. 21. extr. de rescript. Cyn. & Fab. in l. falsus, C. de fur. Deniq; omnes exceptiones peremptoria, quæ contra procuratorem in rem suam, seu alienam cōstitutum, vel

ratione

ratione sui & causæ, vel ratione cōstituentis, vel ratione formæ constitutionis competentes ante litis contestationem in vim dilatoriarum opponuntur, l. itaque, & l. si quis, ff. eod. Exceptiones contra procuratorem in rem suam constitutum cōpetentes sunt. 1. Nullus titulus est in procuratione insertus, nā nuda traditio, & sine causa facta in rebus corporalibus non transfert dominium, l. nunquā nuda, ff. de acq. rer. dominio. 2. Actio cessa est dubitata. i. in iudicium deducta, quare nō tenet cessio, c. 2. extr. de alienat. iud. mutat. & c. 3. Actio est pro parte vendita, pro parte donata, l. fin. C. man. 4. Cessio fuit simulata, c. per tuas, extr. qui filij sint legitimi. 5. Cessa iura sunt ab eo, q̄ cedere nō potuit, vt sunt minor sine tutoris, vel curatoris authoritate: tutor vel curator sine pupillo, nisi absens sit, vel dari nō possit, furiosus, prodig⁹, l. restitui, ff. ad Treb. l. is cui, ff. de ver. obl. Au. minoris, C. q̄ dare tut. vel & c. Exceptiones, quę opponuntur cōtra procuratorem in re & causam alienā cōstitutū, & cōpetunt ratione sui & causę, sunt: 1. Quod sit excōmunicatus, c. post cessionē, extr. de off. deleg. 2. Quod sit mulier, l. neq; fœmina, ff. eod. 3. Quia minor 25. annis, l. minor, ff. eod. 4. Quia miles, l. militis, C. eod. 5. Quia causa est criminalis, publica vel priuata, in qua procurator, ne in agendo, vel defendēdo, interueniat, prohibetur, c. tuæ, ext. eod. c. veniēs, extr. de accus. 6. Quia mandatū est generale, & talis est cā, in qua exigitur speciale, Spec. in §. ratione, tit. de procurat. 7. Non habet literas de rato, quamuis habeat procuratorias, c. penul. extr. de reli. dom. 8. Procurator, est cōtra Ecclesiā, in qua



beneficiū habet, c. fin. ext. de postul. 9. Cōstitutus est in iudicio ante litis cōtestationē à tutore vel curatore vel procuratore, quod fieri non potest, l. neq; ad negotia, & l. quod quis, C. de procurat. 10. Quia mādatum solū ad agendum, vel, licet de rato cauerit, non tamen ad defendendum, quod tamen necesse est, c. accedens, extr. eod. 11. Non cauit de rato, & dubius est de mandato, excedit fines mandati, non iuravit iuxta tenorem constitutionis, c. properandum, extr. de postul. c. innovat, extr. de elect. 12. Quia reuocatus est, Episcopus vel sacerdos secularis, vel in sacris ordinibus existens, vel in minoribus, monachus est, nec habet mandatum sui Superioris: laicus est, & est causa spiritualis, c. non iniuste, extr. eod. c. 1. & 2. extr. ne cler. vel monach. c. 2. extr. de postul. c. sacrosancta, extr. de elect. 13. Quia est magistratus, furiosus, potentior, fiscus, vel Respublica, infamis, seruus, accusatus de crimine capitali, filius, medicus, redemptor litis, falsus procurator, ignarus causæ, habens mandatum nullum, finitū vel reuocatum.

Secundò: ratione constituentis opponuntur exceptiones contra procuratorem, vt sunt: quia constituens fuit monachus, seruus, deportatus, vel bannitus, excommunicatus, minor 25. annis, infamis, reus criminis, mortuus re integra, vel quidam alius, cui, ob iustam causam, constituenti potestas est interdicta.

Tertiò: ratione formæ, competētes exceptiones obijciuntur contra procuratorem. 1. Quòd non contineatur in literis, seu instrumento constitutionis, ad quid fit constitutus, putà ad agendum,

dum, vel defendendum, c. accedens, & c. constitu-  
tis, extr. eod. 2. Quòd mandatum actis non fit  
insinuatum, l. si procuratorem, ff. eod. 3. Quòd  
in literis procurationis rei, dominus non expo-  
fuerit fatisdationem, per quam ipse dominus,  
sub hypotheca rerum suarum, fideiussor procu-  
ratoris existat iudicatum solui, etiam si apud a-  
cta constituatur, l. 2. C. de confor. eiusdem litis,  
§. si verò aliquis, in ff. de fatisdat. 4. Licet habe-  
at mandatum ad agendum, non tamen ad defen-  
dendum, c. Nicolao, extr. de appellat. 5. Quòd  
ipse generaliter, licet alter specialiter, prius fue-  
rit cõstitutus, c. 1. extr. eod. & c. 1. extr. de rescrip.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Nec Pralatus, sine cõsensu Capituli, nec Capitulum,  
sine consensu Pralati, potest iudicium exercere, vel con-  
ueniri, c. per totum, 12. q. 2.*

*Sententia cum falso procuratore lata, est ipso iure  
nulla, nec praiudicat domino, c. ex insinuatione, & c. in  
nostra presentia, extr. eod.*

*Non debet quis alterius odio praeagravari, c. nobis, ex-  
tr. de simonia,*

*Qualibet praesumptio probatione in cõtrarium facta  
elidi potest, c. in nostra, extr. eod.*

*Exceptio falsi procuratoris, non solum ante litis con-  
testationem, verum etiam post, obijci potest, d. c. in no-  
stra, extr. eod.*

*De nemine praesumendum, quòd sit immemor salu-  
tis aeternae, 1. quest. 7.*

*Quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus, c. v-*

N 5 nico,

202 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
nico extr. de scruti. & c. dudum. extr. de præsump.

Nunquam proceditur contra absentem, nisi vel tacite vel expresse citatum, glos. in d. c. in nostra, in verbo irritandum, extr. eod.

Sublato principali tollitur accessorium, c. inter dilectos, extr. de fide instru. c. qualiter, extr. de elect. c. has scripsimus, 16. q. 7. c. 1. extr. de schismat.

Cum verba generalia, siue ambigua, ponuntur in instrumentis procurationis, recurrendum est ad intentionem constituentis. Verba enim debent deseruire intentioni, non intentio verbis, c. ex multiplici, extr. de decimis, c. humana aures, 22. q. 5. c. sedulo, 38. dist. c. intelligentia, extr. de verb. signif. c. praterea, & c. retulerunt, dist. 4. de consecrat.

Si post conclusionem in causa apparet, procuratorem reuocatum, nihilominus fertur sententia, c. auditis, extr. eod.

Procurator constitutus ad prosequendum iudicium petitorium, videtur etiam constitutus ad exercenda iudicia preparatoria & possessoria, etiam si aliud mandatum non habeat, l. 5. ad legatum, extr. eod.

Cum quid mandatur, omnia intelliguntur iniungi, sine quibus commodè ad exitum res mandata perducere nequit, eod.

Posterius mandatum derogat priori, iuxta regulam, pacta nouissima, & c.

In duplicibus iudicijs procurator datus ad agendum, videtur etiam datus ad defendendum, c. Nicolao, extr. de appell.

Pluribus procuratoribus simul, & in solidum datis, potior

potior est conditio occupantis, c. sancta crucis, extr. de rescript. gl. in c. non iniuste, extr. de procur.

Pluribus procuratoribus simul datis, non videtur dati in solidum, sed pro parte, nisi aliter cautum sit, c. si duo, extr. de procur. Mynsing. obseruat. 47. cent. 1.

Obscuritatis in mandato interpretatio contra dominum fit, iuxta l. veteribus, ff. de pactis.

Nota. iure Canonum indifferenter, quilibet administrator rei alienae dicitur procurator. Quia Canones non faciunt differentiam in vocabulis, dummodo is, qui alienae rei administranda constitutus est, habeat potestatem agendi & defendendi, c. petitio, extr. eod. & c. saluator, 1. q. 3. Ius autem civile procuratores ab alijs alienarum rerum administratoribus distinguit, gl. in c. quia in causis, extr. de procur.

## DE SYNDICO.

### Titulus XXXIX.

#### Continuatio.

**P**rocuratores a causa efficiēte bifariam intelligi dictum est, vel procuratores in specie, qui a priuato quodam, vel syndicos, qui ab vniuersitate, vel collegio constituuntur, debent enim vniuersitates cum iudicio praesentes commodè interesse non possint causas suas per constitutos syndicos agere, Dd. in l. 1. ff. q. cuiusq. vniuer. & c.

#### Quid est Syndicus?

Syndicus est procurator, qui ad agendas causas vniuersitatis vel Collegij, seu defendendas praesentes & futuras communi mandato constituitur, c. 1. & c. idem, extr. eod.

Vnde

*Vnde dicitur Syndicus?*

Dicitur, secundum Speculatorem Syndicus, quasi singulorum, de vniuersitate, vel, Collegio, causas dicens, l. numerum, ff. de muneribus & honoribus. §. 2. sed veriùs dicitur à Græco verbo *συνδική*, quod est, adesse, patrocinari, defendere, patrocinium suum in causam communem adferre. Hinc qui à singulis vrbibus ad tuendam causam vnius prouinciæ mittuntur patroni, syndici dicuntur secundum Budæum.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens est, lex, consuetudo, vel statutum, consensus vniuersitatis, collegij vel maioris partis, aut ordinis, vel eorum, quibus ordo hoc committit, non autem consensus constituti. Quia etiam inuitus quis syndicus constitui potest, Specul. de syndi. in princ. allegās l. 1. & l. fin. §. defensores, ff. de muneribus & honoribus. & l. nulli, ff. quodcunq;, &c. Vbi dicitur: nulli permittetur nomine ciuitatis vel curiæ experiri, nisi ei cui lex permittit, aut lege cessante ordo dedit, cum duæ partes adessent, aut ampliùs quàm duæ.

*Quid Vniuersitas?*

Vniuersitas est, multorum hominum in vna Republica simul degentium communitas. aliud autem est vniuersitas, aliud singuli de vniuersitate: adeò, quòd, etsi quid faciant omnes de vniuersitate, nisi tamen faciant vniuersitate solenniter congregata, & communicato consilio, non censetur actus gestus à cõmunitate, etsi actus Reipublicæ commodum respiciat, iuxta Bart. Ang. & Ca.

& Castrens. in l. sicut, §. si quid vniuersitati, ff. quod cuiusque vniuers. nomine, &c. & l. ciuitas, ff. de reb. cred.

*Quid Collegium?*

Collegium est, plurium personarum in vnū corpus collectio. Hostiens. hīc: & Dd. in d. l. ciuitas.

*Quid Ordo?*

Ordo est, status & præeminentia quibusdam in vniuersitate ad regendam Rempubicam populi suffragijs attributa.

*Quæ Materia?*

Omnia Reipublicæ collegiorumq; negotia, & causæ, tam ciuiles, quàm criminales, siue præsentis, siue futuræ, sint. Si quidem in criminalib. vniuersitas per Syndicum rectè defenditur. Specul. hoc tit. num. 5. & tit. de accusat. vers. fin.

*Quæ Forma?*

Vt Vniuersitate, Curia, Collegio, vel Ordine, in loco publico solenniter congregatis, omnib. vel maiore parte, vel his, quibus ab illis hæc res specialiter commissa est, præsentibus, Syndicus per suffragia ad eliciendum singulorum consensus, decreto interueniente, constituatur, & desuper instrumentum syndicatus, quod, secundum Specul. quatuor continere debet, scilicet, quis syndicum constituat, & quis constituatur, ad quas causas, & lites, contra quos, denique quomodo & quare constitutus sit, iuramento fidelitatis & diligentia præstito conficiatur, l. 2. C. de decu.

266 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
decu. l. si procuratorem, ff. de procur. l. penult. de  
legatio. l. si actor, C. de appellationibus.

### *Quis Finis?*

Necessitas & utilitas, cum Vniuersitatis, tum  
etiam eorum, quibus lis & negotium cum Vni-  
uersitate intercedit. Quoniam Vniuersitas, neq[ue]  
agere, neq[ue] conueniri, nisi per Syndicum qui Vni-  
uersitatē repræsentet, potest, Spec. de synd. nu. 5.

### *Qui Effectus?*

Primus est: quod generalis constitutio Syndi-  
ci cōsensu totius vniuersitatis, vel duarum par-  
tium, vel maioris partis ex vniuersitate appro-  
bata Syndico liberam agēdi potestatem tribuat  
etiam in ijs, in quibus aliās speciale mandatū de-  
sideratur, Ias. in l. preses, con. 12. nu. 7. C. de trans.  
qui licet distinguat, tamen Alex. dicit esse verius  
conf. 22. num. 11. vol. 1.

Alter effectus est: quod omnia, quæ Syndicus,  
etiam absque cautione, egit, ab vniuersitate rata  
haberi debeant: ita vt commodum & damnum  
per talem gestionem in eam redundet, l. fin. vbi  
Dd. ff. eod.

Tertius effectus est: quod per litis contestatio-  
nē fiat Syndicus dominus litis, adeo, vt promif-  
sio ei facta, & delatio præstatioq[ue] iuramēti, aliaq[ue]  
omnia, quæ in iudiciario processu ab ipso agun-  
tur, iure subsistant, l. item, §. fin. eod. gl. ibi, §. fin.  
ad verb. de rato.

### *Quæ Cognata?*

Actor, oconomus, procurator, curator, admi-  
nistrato, seruus publicus. Actor dicitur, qui ad  
agendum seu defendendum causas vniuersitatis  
præ-

præsentes tantum constituitur, l. item suffragium, §. decuriones, ff. eod. differt in hoc à syndico, quod is detur ad vniuersitatem causarum, tam præsentiū quàm futurarū, non autē ad vnā præsentiē & certā causam, sicuti actor, l. 1. ff. eod. Oeconomus est dispensator Ecclesiæ, cui res Ecclesiastica administranda mādatur, c. quoniam, 16. q. 7. c. 1. dist. 88. c. hoc ius porrectū, 10. q. 2. Curator dicitur, quod negotia ciuitatis extraiudicialia persequitur. Serui sunt, qui publico scribēdi munere funguntur, & etiā actuarij dicuntur, l. fin. vbi Dd. eod. Administrator dicitur, qui præsens pecuniæ, aliisque negotia ad vniuersitatem pertinentia tractat, tot. tit. de admin. rerum ad ciuit. pert.

*Quæ Adiacentia?*

Iuramentum fidelitatis, cura, industria, instrumentum, syndicatus.

*Quæ Pugnātia?*

Mors Syndici, & reuocatio Vniuersitatis seu Collegij, omnesque exceptiones, quæ contra personam Syndici, eiusque constitutionem, ratione causæ efficientis, materiæ, vel formæ, possunt opponi. Cōtra personā: vt si Syndicus sit inhabilis ad agendū, quia excōmunicatus, miles, minor, mulier, vel criminis accusatus. Contra constitutionē, ratione causæ efficientis: vt quia constitutus ab vniuersitate, cuius rectores sunt excōmunicati, vel tales, qui ob causam cōstituere nō possint, c. si. extr. de procur. vel quia cōstitutus sine cōsensu Episcopi, vel quorū cōsensus desideratur, l. oēs, C. de epis. & cler. vel quia à Collegio illicito, l. 1. ff. quod cuiusque vniuers. nomine. Ratione cōstituti, vt quia laic⁹ cōstituitur in reb. Ecclesiasticis. Ratione formæ,

formæ,



formæ, quòd non est à duabus partib. Curia vel Collegij constitutus, vel saltem à maiori parte, extr. de elect. c. in Ecclesia: vel quod aliqui non sunt vocati ad constitutionē, c. quia propter, extr. de elect. vel constituti, vel constituentium nomina instrumento non sunt inserta.

DE HIS QVAE VI METUS  
causa fiunt.

*Titulus XL.*

Continuatio.

**L**itigatores quandoque, ex iusta & legitima causa, agendo & excipiendo contra aduersarium, restitutionem in integrum merentur quibus non iniuste annumerantur hi, qui vi aut metu cōpuli, aduersario, per fraudem vim inferenti, quid dederunt, vel promiserunt.

*Quid est Vis?*

Vis est, maioris rei impetus, qui repelli non potest, secundum Iurisconsul. in l. 1. ff. eod. & l. si ea, ff. de act. empt.

*Quot sunt Species?*

Vis variæ sunt species. Alia compulsiva, per quam compellitur quis ad id faciendum, quod non faceret, si esset liberi arbitrij. Et ex hac nascitur edictum, Quod metus causa, l. 1. ff. eod. Alia expulsiua, quæ nihil aliud est, quàm si quis per vim alium de possessione sua rerum immobilium deiciat, vel res immobilibus cohærentes mobiles,

mobiles, rapiat. Et hac inducitur interdictum, Vnde vi, tot. tit. C. vnde vi, l. 1. §. 3. ff. de vi & vi armata, & l. si quis in tantam, C. vnde vi. Alia ablatiua, quæ contingit in rebus mobilibus, & inducit actionem, vi bonorum raptorum, l. 1. §. si fundus, ff. de vi & vi armata, institut. Vi bonorum raptorum, per tot. & notatur de hac per Canonistas, in tit. extr. de treuga, & pace. Alia turbatiua, ex qua datur interdictum, vti possidetis, in rebus immobilibus, & in rebus mobilibus interdictum, Vtrubi, cum duo se possidere contendunt, ff. vti possid. & vtrubi per tot. Alia inquietiua, quæ fit, cum quis non finit alium vti re sua quiete, vel in alieno ædificat, vel edificare, inuito domino, conatur. Et ex hac datur interdictum, Quod vi, aut clam, per tot. tit. ff. quod vi, aut clam.

*Quid Metus?*

Metus est, instantis vel futuri periculi, mentis trepidatio, l. 1. ff. eod.

*Metus quotuplex? Et quid iustus?*

Metus duplex est, iustus & probabilis: & vanus vel improbabilis. Iustus est, qui in constantem virum cadere potest: Et est vitæ, cruciatûs, corporis, statûs, seruitutis, fortunarum, pudoris, & instantiæ realis, c. cum dilectus, extr. eod. l. 7. 8. 9. ff. eod. l. 4. l. isti, eod. l. 4. & 9. C. eod.

*Quid vanus Metus?*

Vanus & non probabilis est, qui non in constantem, sed abiectum, vecordemque hominem

O

cadit

cadit: qui facile commouetur, & non timenda timet, Iason, inst. in act. quod metus causa, nu. 54. vsque ad 73. & Zas. num. 10. Et est potentia, reuerentia, perfidia, accusationis, infamia verbalis, & minarum, c. cum dilectus, extr. eod. l. etiam, ff. eod.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens vis metusque probabilis est, ipsa impressio, violenta coactio, & minæ accusationis, & infamiae capitalis, eius, qui dolo vim infert: vel est necessitas imposita contraria voluntati faciendi id, quod non faceret, si liberum esset arbitrium, l. fin. & l. penul. C. eod. l. donationis, l. penult. ff. eod. gl. & Dd. in l. metum, C. eod. vnde Spec. de præsump. §. vlt. num. 7.

*Quod Obiectum?*

Obiectum est, corpus & animus patientis vim, vel metum in virum constantem cadentem. Est enim quædam vis, quæ corpori, & quædam, quæ animo utraque metum inducens, infertur.

*Quæ Forma?*

Forma certa præscribi non potest, cum varijs modis, & re, & verbis, vis metusque inferri possint, vt Dd. in l. vt vim, ff. de iust. & iure.

*Quis Finis?*

Finis est, vt aliquid extorqueatur, licet non semper traditio rei extortæ, sed illatam vim promissio sequatur.

*Qui Effectus?*

Effectus est, actio & exceptio, quod metus cau  
sa,

sa. Siquidem vis compulsiva, cum plerumque do-  
lo fiat, delictum est, ex quo datur obligatio, pro-  
ducens actionem, Quod metus causa: quæ, licet ob  
delictum, personalis sit, tamen ex æquitate natu-  
rali, non tantum contra vim metumque inferen-  
tem, sed contra quemcumque possessorem rei per  
vim extortæ, ut officio iudicis restituatur, com-  
petit, infra annum quidem in simplum, post an-  
num in quadruplum. Et hoc verum, si res incon-  
tinenti post vim illatam tradita sit, sin autem non-  
dum tradita, sed promissa ob consensum vimi  
passi quidem, contractus iure civili subsistit, ex  
quo petenti vi obligationis constitutæ datur ac-  
tio, quæ tamen per Reum, obiecta exceptione,  
Quod metus causa, eliditur, & penitus enerua-  
tur, l. metum, §. prætor, ff. eod. l. non fraudulenter,  
ff. de reg. iur. c. Abbas, §. vnde, extr. eod.

*Quibus casibus gestum ob vim & metum  
ipso iure nullum est?*

Sunt tamē nouē casus, quib. v. rinq. nulla datur  
actio, sed gestum, per vim metumque, licet iureiu-  
rando firmatū, ipso iure nullū est. 1. Si per vim  
& metum matrimonia sint cōtracta: cum inuitæ  
nuptiæ difficiles exitus cōsueuerint habere, c. re-  
quisiuit, c. gemma, c. cum locum, & , c. veniēs, ex-  
tr. de spon. 2. In promissione dotis, l. si mulier, §.  
si dos, ff. eod. 3. In alienatione rei Ecclesiæ, 15. q. 6.  
c. 1. de iurei. & , c. 2. de reb. Eccles. nō alienan. 4. In  
iurisdictione proroganda, c. si diligenti, extr. de  
foro comp. 5. In voto, cap. 1. extr. de voto, 15.  
q. 1. 6. In autoritate tutoris, l. 1. ff. de auth. tu-  
torū. 7. In testamentis, l. qui testamēto, §. fin. ff.

de testam. 8. In sententię pronuntiatione, c. iniustum, 11. quęst. 3. 9. In procuratoris constitutione, arg. c. accedens, extr. de procur.

Nota tamen hęc, quod omne iuramentum, iure Canonico, seruandum fit, quod absque dispendio salutis æternę seruari potest, c. cüm contingat, extr. de iureiur. & c. licet mulieres, de iurei. in 6. Quod procedere etiam putat, si vi metuque iuramentum extortū fit: iuramentum enim seruandum est, nisi eius petita fuerit relaxatio. Nā in subditis, qui ob causas, etiā ciuiles, à suis dominis iniquē mancipantur, nec aliter relaxantur, nisi, sub iuramento securitatis. i. nisi iuramentū præstent, de non vindicando carcere; In ordinat. Cam. par. 2. tit. 24. constitutum est, vt à tali iuramento relaxatio ad effectum agendi peti possit, in Camera: iuramentum enim nō vinculum iniquitatis, sed veritate, iudicio, & iustitia, tāquam suis comitibus, fulcitum esse debet, c. quantō, & c. etsi Christus, extr. de iureiurando. Forma autē relaxandi est: primò magistratui vel domino territorij, sub quo supplicans captus fuit, pro statu causę scribitur, quia in dubio pro magistratu præsumitur, quod legitimis ex causis quis captus sit. Dein: facti serie transmissa fit communicatio petenti citationem super relaxatione iuramenti, ad effectum agendi, & si quidem eam probabiliter confutare poterit, decernitur petita citatio, quia in principio litis, in dubio magis Actori, quàm Reo fauetur: & cüm enim relaxatio à iuramento ad effectum agendi causę cognitionem requirat, partis aduersę præsentia, quę per huiusmodi absolutionem lædi possit, exigitur. Ergo ci-

go citatione opus est, l. de vnoquoque, ff. de re iudic.

*Quæ causa Efficiens huius actionis?*

Causa efficiens actionis, quod metus causa, est, vis compulsiva, & metus in constantem virum cadens, vt dictum.

*Quæ Materia?*

Materia sunt, res, mobiles, & immobiles, corporales, & incorporales, per vim mutata, & ablatæ, omnesq; earum accessiones.

*Quæ Forma?*

Forma est, bona per vim compulsivã, & metum in constantem virum cadentem, dolo aduersarij, extorta, iussu iudicis restituenda esse, quod si iudicis iussui obtemperatum non fuerit, condemnationem in quadruplum faciendam.

*Quis Finis?*

Finis est, vt rerum tam mobilium, corporaliũ, quàm immobilium, & incorporaliũ, ablatarum & mutatarum, intra annum simplex restitutio, & post annum, ob protractam recusationem, condemnatio in quadruplum fiat.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, actio, Vi bonorum raptorum, & interdicta prohibitoria, & restitutoria: & sũt, Vnde vi, vti possidetis, vtrubi, quod vi, aut clã.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, voluntas vim passi, spontanea

nea traditio, lōgum interuallum inter impressi-  
onem & metum, absentia periculi, quod formi-  
dandum, vana timiditas, vecordia, l. 2. C. eod. l.  
metum autem præsentem, ff. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Negatiua probanda est, si in se includat affirmati-  
uam, c. perlatum, extr. eod. c. homine, extr. de elect.

Quod ab initio non tenet, rati habitione potest ro-  
borari, c. significatum, & c. cum virum, de reg. iuris.

Iuramentum si factum sit super eo, quod seruari po-  
test sine interitu salutis aeternae, valet, alias non, c. si al-  
quid, 22. q. 4. c. cum dilectus, extr. eod.

Potius est, mala pati, quam malo consentire, c. ite-  
ne, 32. quest. 5.

Si non tenet principale, nec accessorium tenet, c. si  
diligenti, extr. de foro competen.

Periurys via nō est aperienda, c. cum dilectus, extr.  
eod.

Coacta voluntas, etiam voluntas est, 15. q. 1. c. me-  
rito quaritur.

Licet poena ad heredes non transeat, attamen quod  
turpiter & scelere quasitum est, ad compendium here-  
dis pertinere non debet, eod.

Qui terrore laicorum electioni de se facta renunti-  
at, si renuntiatio iuramento, vel fide firmata non sit, re-  
gimini, ad quod electus erat, praeferri poterit, c. ad aures,  
extr. eod.

Probata violentia per testes, res amissae probantur  
per iuramentum. Et super valore rerum amissarum

taxae

axatione iudicis premissa, & secuto petentis iuramento fit condemnatio, c. super eo, extr. eod.

Si interesse proficiscitur ex maleficio, id probatur per iusurandum: si autem ex contractu tunc per testes probandum est, c. in primis, 2. q. 1.

## DE IN INTEGRVM RE- stitutione.

### Titulus XLI.

#### Continuatio.

**E**cclēsia, si grauitē læsa fuerit, nec ordinariū iuris remedium, ad corrigendum, vel emendandum id, quod gestum, vel recuperandum quod amissum est, cōpetat, iudicis officio extraordinariē, exemplo minorum ad quadrienniū in integrum restituitur.

#### *Quid est in integrum Restitutio?*

In integrum restitutio est, extraordinarium iuris remedium, quo Ecclesia, vel alij (quibus leges vel Canones restitutionis beneficium, ob iustam causam, non inuidēt,) læsi & decepti, officio iudicis ordinarij, vel alterius causę cognitionem habentis, in eum statum, in quo erant ante læsionem, reducuntur, 2. q. 3. in fin. & l. 1. C. de sententiam passis.

#### *Quotuplex Restitutio?*

Restitutiones varię sunt: Vel enim sunt minorum vel maiorū, iure minorū cōsentur Ecclesia



& Respublica, quæ, sicuti minor, postquam excessit 25. annos, si petat restitui, vsque ad quadriennium, in his, in quibus læsus fuit, infra 25. annos, restituitur. Sic & Ecclesia, & Respublica, ad quadriennium restitutionis beneficio gaudent, ubicunque leduntur, à tempore læsionis computandum, l. respublica, C. quibus ex causis maiores in integrum, &c. gl. in c. 1. in ver. iure minoris, &c. auditis, extr. eod. c. quid ergo, 23. quæst. 4. c. ius publicum, dist. 1. Maiores autem, si quid, vel dolo aduersarij, vel per metum cõpulsij perdididerunt, vel propter iustam absentiam, vel ex probabili & iusto errore, vel ex alia legitima causa, quæ reprehendi non possit, læsi sunt, restituitur, tot. tit. extr. quod vi metusq; causa.

*Quæ causa Efficiens?*

Causa efficiens est, Episcopus, Potestas. Alij etiam minores ordinarij, contentiosam iurisdictionem habentes, qui præsentunt vniuersitati, & administrationem cum iurisdictione habent, c. de persona, 11. quæst. 1. l. 1. §. vlt. ff. de postul. l. fin. C. vbi & apud quos, &c. Etiam Delegatus: quia & hic de causa restitutionis cognoscere potest, distinctione tamen seruata, quam ponit Gregorius IX. in c. causa restitutionis, extr. eod. Inquit enim: Causa restitutionis in integrum, coram iudicibus ordinarijs administrationem habentibus, vel Delegatis ab eis, tractari poterit, & finiri: siue hoc ipsis Delegatis specialiter demandatum fuerit, siue in commisso eis negotio cõtingat incidere huiusmodi quæstionem. Delegati verò ab ordi-

ordinarijs, qui administrationem non habēt, sed tantummodò facultatem iudicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeūt, nisi coram eis mota fuerit incidenter.

*Qui sunt Ordinarij administrationem non habentes?*

Ordinarij administrationem non habentes dicuntur, quibus Imperator indulget, quòd causas possint audire, definire, & iurisdictionem voluntariam per totum Imperiū exercere, qui honorem & dignitatem habent, sed nō administrationem commissam, quorum etiam potest iurisdictione prorogari, l. 1. & 2. ff. de iureiur. l. rem non nouam, C. de iud. per Hostiens. extr. eod. §. à qua facienda.

*Quæ Materia?*

Materia est, res magni mōmenti, vt causa matrimonialis, liberalis, criminalis, vel ciuilis: siquidem propter satis minimam rem, vel summam, si maiori rei, vel summæ præiudicetur, postulans restitui in integrum non auditur, l. scio, & l. penult. ff. eod. c. causa restitutionis, §. in matrimoniali, extr. eod.

Restituitur etiam Ecclesia & minor, quotiescunque in iudiciario processu læsi fuerint, contra condemnationem factam, ob contumaciam, contra omissionem probationis, allegationis, vel eorum, quæ faciunt ad instructionem causæ: & hoc non solum in damno, verum etiam in lucro, contra iuramenti delationem, vel relationē, & confessionem, vel si quid procurator ex neglectu officij quid malè gessit, cōtra sententiam,

omissam appellationem, contractus & præscriptiones iure ciuili inductas, vt notat gl. in c. auditis, extr. eod.

*Quæ Forma?*

Forma est, vt intra quadriennium continuum, à tempore læsionis computandum, pro restitutione facièda imploretur iudicis officium, apud Ordinarium illius, cõtra quem petitur, iuxta solennium iudiciorum obseruationem, præmissa citatione & litis contestatione, causæq; cognitione, & probatione læsionis facta, minor & Ecclesia, vel qui his, quo ad hoc restitutionis beneficium comparantur, in eum statum, in quo, ante læsionem erant, restituantur, tot. tit. C. vbi, & apud quem, l. in cause, §. 1. & l. 3. ff. eod. l. superuacuum, C. de temporibus in integ. rest. c. tum ex literis, in verb. officium, extr. eod. Spec. de integ. rest. §. 1. nu. 3. Bal. in l. minor, ff. de minor.

*Quæ causa Impulsiva?*

Causa impulsiva est, vtilitas, æquitas, & necessitas. Quia hoc extraordinariũ restitutionis beneficium datur, cùm alia actio nõ competit, vel competit quidẽ, sed publicè expedit, vt læso pluribus iuris remedijs succurratur, l. 1. & l. diuus, ff. eod.

*Quis Finis?*

Finis est, ne minores, Ecclesia, Respublica, maiores, & quiuis alij, qui ex legitima causa restituantur, immeriti, rerum suarum damnum, quo se extricare non possunt, faciant. Cùm æquitati consentaneum sit, Ecclesiam ab omnibus incommoditati-

moditatibus illam seruari, & deceptis sine culpa sua, maximè si fraus aduersarij interuenerit, per in integrum restitutionis beneficium, subueniri, l. diuus, ff. eod. l. minoribus, ff. de minor. c. satis peruersum, dist. 56. & c. cognoscentes, extr. de constitut.

### *Quis Effectus?*

Effectus est, vt quilibet ius suum saluum habeat, scilicet, tam is qui restituitur, quàm alius, contra quem restitutio fieri postulatur, & æqualitas, quoad fieri possit, seruetur. Nec enim equum esset, vt Ecclesia, minor, vel quicumque alius, qui restitutionis beneficio gaudet, locupletaretur cùm alterius iactura: imò ab hoc Ecclesia abhorret, c. generalis, dist. 54. cap. suam, extr. de pœnis, l. nam hoc natura, ff. de cond. indeb. l. vni. C. de reputat. l. ait prætor, l. quod si minor, l. etiam, l. tutor, l. si iudex, ff. eod.

### *Quæ Cognata?*

Cognata sunt, actio rescissoria, actio de dolo, beneficium legis 2. C. de rescin. venditione, c. reintegranda, nullitatis quæstiones, actio negotiorum gestorum: & omnia edicta vel interdicta restitutoria.

### *Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, damnum non culpa aduersarij, sed euentu & casu illatum, defectus probanda læsionis, lapsus legibus præscripti temporis petendæ restitutionis, dolus, delictum, sacramentum, seu iuramentum eius, qui se restitui petit, &c.

AXIO-

Beneficium restitutionis ex quacung<sup>3</sup> causa competens, ad heredem transmittitur, l. ex persona, C. de tempor. rest. in integr.

Si petitur dilatio, qua metas restitutionis excedit, tam Actori quam Reo conceditur, poterit tamen Actor vii dilatione Reo concessa, l. petenda, C. de tempor. in integr.

Pro anno utili datur quadriennium continuum, ad implorandam restitutionem in integrū, ex quocung<sup>3</sup> capite petatur, l. superuacua, C. eod.

Ecclesia laesa in probatione necessaria omissa, potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino iuris probationis exclusae, & petere potest, non solum contra priuatum, sed etiam contra Ecclesiam, c. auditis, extr. eod.

Ecclesia censetur iure minoris, iure Reipubl. & iure Imperij, c. 1. extr. eod. cap. quid ergo, 23. quast. 4. c. duo, dist. 96.

Ecclesia generaliter restituitur, non solum cum de bonis diminuitur, sed etiam cum interest Ecclesiae, litibus & sumptibus non vexari, glos. in cap. ex literis, extr. eod.

In causa appellationis, iudex, altera parte absente, etiam lite non contestata, procedere potest, c. per tuas, & c. interposita, extr. de appell.

Differt appellatio à supplicatione: quod, appellatione interposita, nihil est innouandū, sed, pendente supplicatione, mandatur sententia executioni, praestita cautione,

ne, quòd omnia restituat, si sententia fuerit retractata,  
glos. in c. ex literis, extr. eod.

Petitio restitutionis in integrum contra sententiam,  
suspendit regulariter executionem sententiae: nisi contra  
petentem est praesumptio malitiae, quòd causa differendi  
executionem hoc petat, c. suscitata, extr. eod.

Generale est, quòd quando quis ad aliquid in dubio  
admittitur, semper prestare cautionem teneatur, d. c. su-  
sцитata, & ibi gl. extr. eod.

Quòd vna via prohibetur, alia non debet cõcedi, fal-  
lit, in c. tua, extr. de procurat. & c. constitutus, extr.  
eod.

Quicquid habet vxor totum praesumitur de bonis ef-  
se mariti, gl. in c. constitutus, extr. eod.

Filius in potestate patris constitutus, alienare, vel a-  
liàs disponere de rebus suis non potest, glos. c. constitutus,  
extr. eod.

Tutor vel curator alienare rem minoris absq; pra-  
toria auctoritate non possunt, gl. d. c. constitutus.

Quae de nouo emergunt, nouo auxilio indigent, c. fin.  
extr. eod.

Propter nouas defensiones, petens restitutionem i-  
terum auditur. Noua autem defensiones dicuntur si-  
ue tempore primo petita restitutionis fuerint: sed non  
allegata, quoniam occulta: siue postea emerferint, & c.  
gl. in c. fin. extr. eod.

Restitutio denegata Ecclesiae, vlteriùs sibi non con-  
ceditur, nisi ex noua causa: restituitur tamen ad ap-  
pellandum à sententia denegationis, cap. beneficio, extr.  
eod.

222 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE ALIENATIONE IVDI-  
cij mutandi causa facta.

*Titulus XLII.*

Continuatio.

**E**dictum, de alienatione iudicij mutandi causa facta, speciem restitutionis constituit: qua prospicitur omnibus, in quorum damnum & praeiudicium possessiones, vel res, de quibus mox ueri quaestio timetur causa mutandi iudiciū futurum, in alios transferuntur.

*Quid est alienatio iudicij mutandi causa facta?*

Alienatio iudicij mutandi causa fieri dicitur, cum quis credens, se ab aliquo conueniendum reali actione vel personali, quae in rem scripta sit, dolo malo, iudicij futuri mutandi & vitandi causa, dominium rei in alium trāsfert, l. ex hoc, ff. eod.

*Quid fieri dicitur mutandi iudicij causa?*

Mutandi iudicij causa fieri dicitur, cum molestior aduersarius subijcitur, aut alia ratione agendi conditio durior fit & deterior, l. 1. 2. 3. & 4. ff. eod.

*Quae causa Efficiens?*

Causa efficiens huius prohibita alienationis est dolus debitoris, actione reali, vel personali in rem scripta, cōueniendi, l. item si res, §. hęc actio, ff. eod.

Quod

*Quod Obiectum?*

Obiectum est, res, super qua cōtrouersia moueri timetur, siue sit mobilis, siue immobilis, siue corporalis, siue incorporalis.

*Quæ Forma?*

Forma alienationis, vt producat effectum, actionem in factum; desumitur ex tribus ad illā actionem necessariò requisitis, 1. Vt fiat alienatio causa mutandi iudicij futuri & non præsens, quia alienans rem litigiosam incidit in edictum, de litigiosis, l. vlt. C. de litigioso, l. ex hoc edicto, ff. eod. 2. Vt dolo fiat alienatio, ratione loci, vel personæ: vt si duriores agendi conditionem opposito potentiori, vel alterius prouinciæ aduersario nobis fecerit, l. 1. & l. 2. ff. eod. 3. Vt nostra interfit, fortè, si quis fecerit impensas, vel aliam incommoditatem ratione alienationis factæ, vel potentioris aduersarij substituti passus sit.

*Qui Effectus?*

Effectus est, actio in factum: quæ restitutoria est, & rei persecutionem præstationemque eius, quod interest, alium aduersarium habuisse, arbitrio iudicis continet. Dabitur autem hæredi, & in hæredem, vel similem, quatenus ad eum peruenit: Non post annum, quia, licet pertineat ad rei persecutionem, tamen ex delicto, hoc est, dolo & fraude alienantis, competere censetur, l. item si res, §. hæc actio, l. vel similem, l. vel post annum, l. quia pertinet, ff. eod.

*Quæ*



*Quæ causa Efficiens actionis  
huius?*

Causa efficiens huius actionis in factum, est delictum, vel dolus alienantis.

*Quod Obiectum?*

Obiectum est, alienatio rerum mobilium, immobilium, corporalium, incorporalium, quas alienandi, & distrahendi legibus & Canonibus concessa facultas est.

*Quæ Forma?*

Forma est, quòd si quis, alienando rem, alium nobis aduersariũ suo loco, data opera, & in fraudem nostram, substituerit, in factũ actione, quanti nostra interfit, alium aduersarium nos non habuisse, conueniatur, l. 1. ff. eod.

*Quis Finis?*

Finis est, ne alterius conditio, litigandiq; facultas ex alieno facto fiat deterior, vel dolo debitoris & possessoris rem alienantis remoretur & impediatur.

*Quis Effectus?*

Effectus actionis est, ipsa restitutio, non tantum rei in fraudem alienatæ, sed etiam ipsius interesse, quod nobis, ob factum debitoris, defuit.

*Quod Cognatum Alienationis?*

Affine alienationis est, cessio: differunt tamẽ in hoc, quòd alienatio futuri iudicij causa fiat, cessio autem, lite pendente, & durante iudicio, fieri contingit. Cuius effectus est, actionum directarum transitio: quòd cui cessæ sunt, eas nomine suo intentare possit, licet secus sit, si, absque actionis

actionis cessione, nomen ematur. Emptor enim  
utilibus tantum actionibus tunc experitur, l. em-  
ptor, C. de hæred. & act. vend.

*Quæ Cognata actionis in factum?*

Cognata actionis in factum, hoc loco, sunt,  
omnes vindicationes, actiones mixtæ, & persona-  
les in rem scriptæ, Cuius. obser. lib. 10. c. 3. per l. 24.  
§. vltim. ff. communi diuidendo. Et, quo ad re-  
stitutionem, omnia edicta, & interdicta restitu-  
toria.

*Quæ Pugnantiæ?*

Pugnantiæ sunt, necessitas alienandi, ignoran-  
tia iuris petitoris, vel defectus iuris debitoris:  
Ut si possessor, absque dolo, ex necessitate igno-  
rans, petitorum ius in ea habere, rem alienet: vel  
si sciat, ipsum ius autem, vel per usucapionem,  
vel alio modo est extinctum, 2. Si inchoatum  
fuerit iudicium, vel res facta litigiosa: quod fit  
per citationem, libelli oblationem: aut alio mo-  
do, causa mota in realibus, sicuti litis cõtestatio-  
ne in personalibus, glos. & Bart. in l. 3. ff. eod. De-  
nique cessatio interesse, si, videlicet, æquè contra  
tertiũ possessore agere possit, nec petitoris inter-  
fit, contra alienantem actionem dirigere, glos. &  
Dd. in l. 2. & auth. litigiosa, C. de litig.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Delegata iurisdictio non potest prorogari ad perso-  
nas alias, in rescripto non comprehensas, glos. in cap. 1.  
extr. eod.*

*Clericus, causa mutandi iudicium, non debet recipe-  
re ces-*

P

re ces-

226 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
re cessionem à laico c. ex parte.

Edictum de alienat. iud. mutand. causa ad futurum iudicia pertinet, cum quis metu impendēis litis alienat, vel alienatione duriorē aduersarij conditionem reddit, cap. 1. extr. eod. & ibi gloss.

Fraudem non committit, qui iure suo vititur, gloss. in c. 1. extr. eod.

## DE ARBITRIS.

### Titulus XLIII.

#### Continuatio.

**L**itigatores quandoque, sumptis, alteriusque ex contentionibus proficiscentis incommodi vitandi gratia, vel etiam odio protractionis litium, controuersias, sub stipulatione certæ pœnæ, vt eius metu à placitis non recedatur, alicui, vt viro bono, dirimēdas, per compromissum committunt.

#### *Quid Arbitrium?*

Arbitrium est, potestas de causa controuersa cognoscendi, & pronuntiandi, partium consensu, sub stipulatione certæ pœnæ, vt sententię stetur, vel à lege, vel Canone alicui, qui arbitriū recipere potest, tributa, c. perpetuas, &, cap. 1. extr. eod.

#### *Vnde dicitur Arbitrium? & quid significat?*

Arbitrium, dicitur ab arbitrando, quasi arbitrate ex æquo & bono de causa per compromissum commissa arbitretur & statuat: Et significat sententiā boni viri iuris formulis, & angustijs solutam

tam

tam, Cicero pro Sex. Ros. &, lib. 3. Off. &, l. 1. de leg. 2. Quę cōpromissum & laudum etiā dicitur, ex eo, quia ad arbitrū ex compromisso itur, hoc est, in arbitrū, sub certa pœna vel cautione stādi sententię per ipsum latę à partibus, cōpromittitur. Vnde arbiter à potestate iudicandi etiam iudex compromissarius dicitur, l. 2. C. de iur. prop. calum. dam. l. cum lege, &, l. penul. C. de pactis, l. societatem, ff. pro socio.

*Quotuplex est Arbitrium?*

Arbitrium à causa efficiēte, forma & materia variē dicitur.

*Quotuplex à causa Efficiente?*

A causa quidem efficiēte arbitrium, vel est voluntarium, vel necessarium & iuris.

*Quid Voluntarium?*

Voluntariū est, si partium volūtate in arbitrū, qui volens receperit arbitrium, cōpromittatur.

*Quid Arbitrium iuris?*

Arbitrium iuris est, si vel à iudice, vel statuto, cōsuetudine, lege, aut Canone, priuato alicui causa decidenda committatur, Bart. l. prætor, nu. 12. de tuto. dat. l. arbitrio, cum l. sequē. ff. qui satisd. cog. l. apertissimi, de iudicijs.

*Quę causa Efficiens?*

Causa efficiens voluntarij est, consensus & voluntas partiū, facultatem in arbitrū compromittendi habentium, accedente arbitri consensu. Tametsi enim nemo cogatur arbitrium recipere, quoniam hæc res libera & soluta est, & extra iurisdictionis necessitatem posita: attamen vbi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam

& sollicitudinem suam hæc res, qua se, ante pronuntiationem sententiæ, liberare nõ potest, pertinebit. Non tantum quod studeret lites finire, verum, quoniam non deberent decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt, l. labeo, §. tamen, ff. eod. l. rem non novam, C. de iud.

*Qui compromittere possunt?*

Compromittere omnes possunt, qui non prohibentur: vt sunt omnes, siue sint sui iuris, vel alieni, vt filius familias, seruus iussu domini, siue in re sua, vel aliena, vt sunt administratores, quibus libera rerum administratio commissa est, tutores, curatores, Prælatus, vasallus, siue Christianus, vel non, vt Iudeus, paganus, vt notant Blande compro. quæst. 3. & Hostiens. & l. non distinguemus, ff. eod. & Alex. conf. 32. num. 5. volum. 2. Prohibentur tamen serui per se, ob statum, impuberes, ob ætatem, mulieres in causa aliena, ob sexum, furiosi, ob defectum intellectus, &c. d. l. non distinguemus, & l. diem, ff. eod.

*Qui Arbitri esse possunt, vel non?*

Pari ratione in omnes compromitti potest, cuiusque dignitatis & conditionis sit: siue persona Ecclesiastica, siue secularis, siue filius fam. siue paterfam. siue celebris & bonæ famæ, siue infamis, 3. quæst. 7. §. tria, c. per tuas, extr. eod. l. 5. ff. eod. exceptis his, qui lege, vel Canone prohibentur, vt sunt seruus, furiosus, mutus, surdus, minor 20. annis, scæmina. Maior tamen 20. annis arbitri esse potest: & clerici de temporalibus compromitti.

promittentes in mulierem, aliàs de consuetudine iudicâtem, arbitrium subsistit, c. dilecti, extr. eod. & c. cum, vigesimum, vbi glos. & Dd. extr. de officio & potest. iud. delegati. Specul. de arb. §. potest.

*Quæ Materia?*

Materia compromissi, sunt, cōtrouersia quarumlibet rerum, de quibus in arbitrum compromitti Canones & leges ciuiles permittūt. In causa autem criminali, nisi agatur ciuilitè, causa populari, liberali, matrimoniali, in rebus spirituales in laicum, pernitiosis Ecclesiæ & Reipublicæ, & de re, de qua transigi non potest, vt de alimentis futuris, iudicatis, & c. vel rebus alienari prohibitis velut, emphiteusi feudo non compromittitur, c. contingit, extr. eod. l. non distinguemus, ff. eod. Guido. Pap. decis. 69. num. 2. Blanc. q. 2. num. 62. & q. 4. num. 78.

*Quotuplex à materia dicitur Arbitrium?*

A materia, arbitrium vel generale, vel speciale, vel plenum dicitur. Generale est, si de rebus & controuersijs omnibus compromittatur, l. de rebus, ff. eod. Speciale est, si de vna tantum controuersia compromissum in arbitrum factum sit, c. exposita, extr. eod. plenum est, quod doli clausulæ expressam mentionem facit, c. ita demum, §. plenum, ff. eod.

*Quæ Forma?*

Forma arbitriorum ex conuentione partiū colligitur. Vel enim partes sub stipulatione pœ-

næ certæ vel cautione, addito iuramento, vel simpliciter pacto nudo, sine pœna, cum adiectione certi diei, ad quem causa definiri debeat, vel indefinite in vnum, vel plures compromittunt, quòd si nihil specialiter conuentum fuerit, ad iudiciorum ordinem dirigitur secundùm cõsuetudinem, & statuta cuiusq; loci, l. non distinguemus, ff. eod. l. Pomponius, cum l. 1. eod. Innoc. in c. quinquauallis, nu. 7. de iurei. Maranta in Specul. parte 4. dist. 14. nu. 2. Blanc. parte 1. nu. 20. 29. & q. 2. num. 47.

*Quotuplex à Forma?*

A forma arbitrium dicitur, vel conuentum, vel stipulatum, vel iuratum. Conuentum est, si partes absq; compromisso simpliciter & nudo pacto in arbitrum consentiunt, hac conditione, vt non simpliciter eius sententiæ stetur, sed pronũtiatum ad arbitrium boni viri reduci possit, l. societatem, ff. pro socio. Stipulatum dicitur, si sub stipulatione certæ pœnæ, vt metu eius placitis stetur à partibus fuerit cõpromissum, l. 1. C. eod. l. litigatores, extr. eod. Iuratum dicitur, si compromissum fuerit à partibus præstito iuramento, confirmatum, l. ne in arbitris, C. eod.

*Quis Finis?*

Finis est, vt lites & controuersia minoribus sumptibus, inter amicos, extra iudicij vexationes, & moras terminentur & finiantur, l. 1. & l. quamuis, ff. eod.

*Qui sunt Effectus?*

Effectus sunt, 1. Actio & exceptio, quæ siue ab vtraq; parte promissa sit pœna, siue non sit, & nudo pa-

do pa-

do pacto, & sine pœna, assumptus fit arbiter, oriuntur ex sententia, quam arbiter, postquam recepit arbitrium, pronuntiare tenetur. Quod quidē verum est, si tacitè vel expressè partes emologauerint sententiam, nec intra decē dies, alterutra pars, (si arbitrium iuris sit) non appellauerit, vel si volūtarium ad arbitrium boni viri reduci nō petierit, l. 4. & l. penul. ff. eod. Blan. q. 5. nu. 8. c. per tuas, extr. eod. si verò arbitriū à partib. nō fuerit approbatum, vel receptum, & pœna appositafuit, tūc agitur ad pœnam, cuius metu arbitrio parere debebat: & per eam ad obseruationem arbitrij compellitur, c. dilecti, extr. eod. c. per tuas, extr. eod. si nulla pœna compromisso fuit adiecta, sed simpliciter stare arbitrio conuentum, agi ex stipulatu potest, ad interesse: sic distinguit gl. in c. per tuas, eod. Secundus effectus est, quòd: sicuti litis contestatione præscriptio rei, de qua agitur, interrumpitur, ita etiā per receptionem arbitrij. Tertius: quòd omnia acta corā arbitro inter easdem partes in iudicio ordinario probent, l. cum antea, C. eod.

*Quæ Cognata?*

Cognata sunt, transactiones, amicabiles compositiones, pacta, iudicia, arbitramenta.

*Quæ Adiacentia?*

Adiacentia sunt, tempus idoneum, locus competens, salarium decens, & honestum.

*Quæ Pugnancia?*

Pugnancia sunt, lapsus diei, quo arbitriū fieri debebat, mors arbitri, vel alterutrius partium



casus talis interueniens, à quo arbitrium incipere non potest, omnes exceptiones impediennes lites ingressum, & defectus causarum omnium, efficiens, materialis, formæ, finis, corruptio arbitri, dolo alterutrius partis proueniens, rei, super qua cõpromittitur, peremptio, solutio, acceptatio, transactio, iudicium, pactum de non petendo interpositum.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Arbitria ad similitudinem iudiciorum sunt redacta, & ad finiendas lites pertinent, l. 1. ff. eod.*

*Clerici de temporalibus in mulierem, aliàs de consuetudine iudicantem compromittere possunt, c. dilecti, extr. eod.*

*Fœmina, secundum regulam iuris ciuilibus, à publicis officijs sunt remotæ: nec iudicandi munere fungi possunt, nisi Princeps scienter eis delegauerit causam, d. c. dilecti, & 3. q. 7. §. tria, & 33. q. 5. c. mulierem constat, c. cum deuotissimam, 12. q. 2.*

*Si contemplatione alicuius aliquid fit, eius est periculum, gl. c. dilecti, eod.*

*Arbiter non habet potestatem iudicandi ultra comprehensa in compromisso, idè coram eo locum non habet reconuentio, c. cum dilectus, eod.*

*Arbitrium pro parte valere, & pro parte non valere, non potest, c. Rainutius, extr. de testam. Contrarium habetur, c. dilectus, extr. de prabend. & c. nisi, eod.*

*Authoritate iudicis causa etiam delegati, potestatem in temporalibus, quàm spiritualibus in clericum & laicum*

cum

rum compromitti, & si arbitrium est à partibus receptū, debet à partibus executioni mandari: si autem non fuerit approbatū, & pœna fuit appositā agatur ad pœnam, sin non fuit adiecta, agitur ad interesse, cap. per tuas, extr. eod.

Compromissum non extenditur in compromittentis heredes, nisi de hoc specialiter cautum sit, cap. fin. extr. eod.

De omnibus rebus controuersis vna vel pluribus compromitti potest, quæ sint facti, non iuris, nisi ipsum quoque ius sit incertum, Salicet. cap. cum proponas, C. de reb. creditis, & iurando.

FINIS LIBRI PRIMII.